3 3433 08212289 0

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Mercier Auction

2/10/.



Digitized by Google

F-10
594

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Magnificus ac Spectabilis Dominus

PETRUS TUBUTUM

De Telsi-Kubin et Deménfalva, J. C. et R. A. M. Consiliarius, complurium T. T. Comitatuum Tabulae Judiciariae e primariis Adsessor, Ecclesiarum ac Scholarum Augustanae Confessionis in inclyto et venerabili Senioratu Trans Monthanus Inspector, nec non Instituti eiusdem Literarii Director, Societatis Ferri Cultorum Rimaviensis Pro-Praeses &c.

CIMELIOTHECA

MVSEI NATIONALIS HVNGARICI,

SIVE

CATALOGVS

HISTORICO-CRITICVS

ANTIQVITATVM, RARITATVM,

ET

PRETIOSORUM

CVM

BIBLIOTHECA

ANTIQVARIA, ET NVMARIA


EIVSDEM INSTITVTI.

8526

BVDAE,

TYPIS REGIAE LITERARVM VNIVERSITATIS HVNGARICAE MDCCCXXV.

Digitized by Google



Perspice nunc tenuem visu rem, pondere magnam.

M. Manil. Astron. Lib. I.

Digitized by Google

MAGNIFICO. AC. SPECTABILI.

DOMINO.

PETRO. KVBINYI.

DE.

FELSŐ. KVBIN. ET. DÉMÉNFALVA. S. C. ET. R. A. MAIESTATI. A. CONSILIIS.

COMPLVRIVM. II. COMITATVVM. TABVLAE. IVDICIARIAE.

ADSESSORI.

ECCLESIARVM. AC. SCHOLARVM.

AVGVSTANAE. CONFESSIONIS.

IN. INCLYTO. ET. VENERABILI. SENIORATU.

KIS. HONTHANO.

INSPECTORI.

NEC. NON.

INSTITVTI. EIVSDEM. LITERARII.

DIRECTORI.

SOCIETATIS. FERRI. CVLTORVM.

RIMAVIENSIS.

PRO. PRAESIDI.

Digitized by Google

MAGNANIMO.
PERVETVSTAE. GENTIS.
HVNTH-PÁZMÁNIAE.
HAEREDI.
PROMTA. IN. PRINCIPEM. FIDE.
ATQVE.
ADSIDVA. IN. PATRIAM. CHARITATE.
NVLLI. SECVNDO.
AMPLISSIMAE. ERVDITIONIS. GLORIA.
DOMI. FORIS. QVE. ILLVSTRI.
SCIENTIARVM. ET. DOCTORVM.
MAECENATI.
SOLERTI. MVNIFICO. LIBERALI.
OB.
ACCEPTA. MAXIMA. BENEFICIA.
IN.
PERENNIS. VENERATIONIS.
GRATI. QVE. ANIMI.
MONIMENTVM.
MEMORIAE. SEMPITERNAE. CAVSSA.
HANC.
CIMELIOTHECAE. NATIONALIS.
DESCRIPTIONEM.
D. D. D.
DEVINCTISSIMVM.
MVSEVM. NATIONALE. HVNGARICVM.

Digitized by Google

Quod inde a prima Musei Nationalis Hungarici institutione boni publici studio in optatis habuere vniuersi, vt scilicet vtilissimum hoc scientiarum Athenaeum, AVGVSTI REGIS immortali clementia, atque sublimi SERENISSIMI PROREGIS ingenio constabilitum, plurimos eximiae virtutis SZÉCHÉNYIAE aemulos nancisceretur Maecenates: Id, opem largiente DIVINO NVMINE, amplissimis cum progressibus ex sententia euenisse nunc omnis, qua late patet, nouit Hungaria; mirantur ac imitantur populi exteri; seris transscribent nepotibus Instituti annales, rerum gestarum testes certissimi.

Vix fama legis, a Patribus Patriae de perenni Musei Nationalis Hungarici securitate in Comitiis conditae, ad singulas Regni prouincias pertigit, cum ardor Ciuium, bona volentium, imitabili posteris exemplo, nouum domesticae eruditionis Promtuarium, laetissimo flore dignum, non tantum vario literarum adparatu, editis quippe libris, manuscriptis codicibus, priscae antiquitatis monumentis, vetustis Maiorum imaginibus, metallorum mineris, diuersissimisque naturae et artis paradigmatibus locupletius reddidit; verum etiam composita maiori aeris, vltro oblati, summa de stabili eiusdem Aerario, faciendis erogationibus fere suffecturo, temporum attamen vicissitudinibus multum exhausto, larga liberalitate prospexit.

Has inter Hungarorum, natura, vt Regino scriptor saeculi X. monebat, tacitorum, atque ad faciendum, quam ad dicendum proniorum, nobiles contentiones TVA iam olim, MAGNIFICE AC SPECTABILIS DOMINE CONSILIARIE! cumprimis eminebat munificentia. Excelsa, quam a Maioribus toga sagoque inclytis haereditate in TE deuolutam nactus fueras, animi indoles, ac mens adsiduo scientiarum cultu subacta,

mox

Digitized by Google

mox eo voluntatem TVAM, ad maxima quaeque procliuem, perduxit: vt, quoniam coniugii expertem ducere vitam, literisque de re publica bene mereri dudum decreueras, hoc tenellum percharae Patriae Institutum, a quo ingentia solidioris culturae iure exspectantur incrementa, facultatum peculiorumque TVORVM non tam haeredem scriberes, quam vita comite participem efficeres, eique vni ampliando atque augendo omnem impenderes operam, consecrares sollicitudinem.

Ita vero ob multiplicem, qua cunctorum iudicio polles, eruditionem donorum contuleras vbertatem, vt cuiuis scientiarum classi nouae, TE offerente, suppeditarentur accessiones, partesque singulas eadem complectereris beneuolentia, eodem exornares conatu. Bibliothecam Regni multis Manuscriptorum voluminibus, librisque, spectata aetate rarius obuiis, pluribus item doctis commentationibus, ab Hungaris XVI. et XVII. saeculo per vniuersam Europam euulgatis, adauxisti; Numophylacium magni valoris Hungaricis, Graecis, et Romanis Monetis larga manu ditauisti; Cimeliothecam variae formae obsoletis Patrum armis, aliisque Romanae et Hungaricae vetustatis monumentis opulentiorem reddidisti; Collectioni Technologicae ac Mineralogicae, artis, humanae industriae, terrae, fodinarumque thesauros frequentissime submisisti; Zoologica animalibus, Ornithologica auibus, Hypocausta scriniis et fornacibus, Scriptores charta instruxisti; Aerarium rerum perficiendarum neruo, notabili quippe pecuniaria symbola, adiuuisti; Instituti porro Directorem amicis, dum viueret, inter paucos adlectum, Custodesque omnigenae humanitatis officiis deuinxisti.

Quin neque hac munerum, decem florenorum millia longe superantium, copia insigne TVVM in literas studium circumscribi indulseras. Dicendi

Digitized by Google

cendi et persuadendi robore, morum vrbanitate, animi mansuetudine, necessitudinis vinculo, susceptis itineribus, Museo Nationali Hungarico conspicuae praeterea dignitatis Fautores conciliauisti; facunda eloquentia in publicis prouinciarum congressibus necessitatum nostrarum indefessum interpretem egisti; Memorias Solennes Bibliothecae Senioratus Kis Honthani, persolutis plerarumque typi expensis, decursu XVI. annorum in lucem protulisti; conscriptis aliquot eximiae doctrinae commentationibus, fidus claritatis lucisque propagator, ignorantiae tenebras dissipauisti; Familiae Kubinyianae, regno coaetaneae, Historiam, spretis praeiudicatarum opinionum monstris, diplomatum e Tabulario Familiae depromtorum fide secundis plane curis ad calcem perduxisti; hanc ipsam denique Cimeliothecae Nationalis Descriptionem, eruditum veterani Amici opus, Manuscriptis Regni Codicibus sumtuum editionis defectu illatam, perruptis largitate TVA impedimentis, doctorum virorum vsibus edendam exoptauisti, atque peculiari SERENISSIMI PROREGIS erga desideria TVA fauore etiam impetrauisti.

Pro tot, tantis, tamque splendidis magnanimitatis, futurae aetatis laudibus vberius celebrandae, Documentis patere iam, MAGNIFICE AC SPECTABILIS DOMINE CONSILIARIE! velata tantisper modestia opus beneficio TVO in lucem prolatum Aegide Nominis TVI, bonis omnibus venerabilis, ornari; patere gratissimum nostrum animum sempiternae memoriae caussa palam et publice declarari; patere ad notitiam Populi Hungarici perferri, hocce, quod gaudio exsultantes TIBI inscribimus literarium munus, SERENISSIMI PROREGIS, sapientissimi nempe meritorum arbitri, alta voluntate TIBI oblatum haberi, non tam proinde nostrum, quam ILLIVS porphyrogeniti Principis esse donum, CVIVS, velut de coelo missi alterius Hungariae sospitatoris, grandia resuscitandae nationalis

Digitized by Google

nalis gloriae conamina profundissima cum veneratione gratus subcollauisti, QVIVE praeclarae TVAE in Patriam charitati benignis adloquiis efficacissima superaddidit incitamenta.

Atque ista Principis Optimi, Maximi gratia, frequentibus complacentiae declarationibus subiuncta, summum TIBI adtribuet praemium; ad vltimum TE perducet humanae felicitatis fastigium: Nos autem, vota pro longaeua incolumitate TVA nuncupantes, Institutum, Nosmet ipsos, Conatusque nostros vlteriori patrocinio TVO pectore sincero deuouemus. Vale! Dabamus Pestini XVI. die ante Calendas Apriles MDCCCXXV.

Deuinctissimum

Museum Nationale Hungaricum.

IAC. FERDINANDVS MILLER

DE BRASSÓ

S. C. ET R. A. M. CONSILIARIVS, COMPLVR. II. COMITATVVM TAB. IVD. ASSESSOR, ET MVSEI NATION. HVNG. DIRECTOR

POPVLARIBVS HVNGARIS.

Conspectum Cimeliothecae Hungaricae, multorum votis expetitum, in publicam dimittere lucem, gestit animus, neutiquam complexurum thesauros, qui se se singulari gemmarum, aurique, et argenti copiosi adparatu commendent, sed, qui raritate, et elegantia, rerum peritos reddere possint attentissimos. Multa enim iam praesto sunt, quae alibi frustra quaesiueris, plurima vero, quae eruditioni historicae, vel artisticae cumulate famulentur. — Quia tamen ad sustinendam Nationis dignitatem nondum sufficere putarentur, longeque plures, ac summi valoris cupedias, in gazophylaciis illustrium Familiarum, immo etiam apud priuatos Ciues, per regnum dispersas, reperiri, exploratissimum haberetur, paulisper adhuc conticendum existimauimus.

Verum, percrebescentibus cum graui nationalis Instituti iniuria ingratis rumoribus, mutandum erat consilium. — Actutum enim manum operi admouimus, ne praeclarissimorum Ciuium nomina diutius celarentur, quorum liberalitate nobilissimo huic theatro sine cunctatione fundamenta iacta sunt. — Cimeliothecae Hungaricae parua licet adhuc nonnulli subsannent initia, prospicere tamen ex specula integrum est, sub aegide Serenissimi Archiducis IOSEPHI, Proregis Benignissimi, praesentis aetatis consilia olim largissime succollanda. — Hungaria enim nunquam non numerauit viros, qui priuatis vtilitatibus publicas, mortalibus aeternas, anteferre, multoque diligentius Patriae consulere, quam facultatibus consueuerunt. — Maturitas duntaxat praestolanda est: ignoti vtique nulla tamdiu esse potest cupido, donicum non audiatur, videatur, legatur, et intelligatur, quanto ardore vicini Styri, Moraui, et Bohemi nostra in hoc genere aemulari, immo anteuertere nitantur studia.

Non ergo cunctandum, sed agendum, si rem, secundis auibus, pro Patriae gloria, ornamento, et emolumento, bene ceptam, constabilire cupimus: nec etiam deliberandum, quid recipi debeat, sed selectum amplioris affluentiae posteris reliquendum esse. — Primordia enim talismodi Institutorum delectum non patiuntur, sed quibuscunque accessionibus amplificari, et ditari peroptant, vt otius perficiantur. — Longa quippe pensitatione non promouentur, sed in ipso ortu non raro adhaerent, et antequam ad perfectionem deducantur, iam concidunt. — Hac de caussa, non expectatis amplioribus digniorum speciminum suppetiis, sed repudiatis molestiis, muneris esse duxi, eorum sine mora implere desideria, qui auidissime flagrant nouisse, e tenebris protractas opes, quae huc influxerunt, vt magnanimitatis Hungaricae prostarent monumenta. Quum id promtissime praestare dedi operam, nullius me, spero, criminis arguendum. Iactent, per me licet alii, atque alii diuitias suas, easque imbecillae publici Instituti suppellectili opponant, turgeant fortunis, quas a Maioribus acceperunt, aut, quas ipsi ad magnificentiam generis, et ad celebritatem nominis multo aere congregant. — Nihilominus, si occultentur, huiusmodi conatus duntaxat vanam sapiunt gloriam, quae non communis vtilitatis, sed opulentiae scopum sequitur. — Nos eorum solum memoramus nomina, atque dona, quos generosus moderatur animus, quibus nunquam volun-

Digitized by Google

tas, sed occasio deerat gratificandi prisci aeui congiariis, eaque Patriae immolandi, vt non modo oculos oblectarent, sed etiam artium, et scientiarum commodis affatim suffragarentur.

Veniam proinde ab aristarchis aeui nostri me impetraturum confido, si illa, quae annunciamus, eorum palato minus arrident, et quae adesse cupiunt, non inuenerint. — Meminisse istos velim, omnia, quae fiunt, quaeue in orbe aguntur, quantumuis diligentissime, semper tamen leuioribus principiis ab ipsa rei natura praetexta esse, et nec Romam vno, eodemque temporis puncto ad suum splendorem, atque magnitudinem assurrexisse, sed pedetentim, interiecto spatio, paratius, accuratiusque maturitatem assecutam fuisse. Itaque omnia fidelissime referimus, et explicamus, quae in scriniis Cimelii asseruantur, seu illa dono, seu cambio, seu aere parato aquisita sint; parum solliciti, obuiane, vulgaria, communiaque, vel cuiuscunque alterius nomenclationis minutias dicere lubeat. Fortassis mox tempus appellet, quo etiam Fidei-Commissa, et Legata locum habitura sunt, vt hasce plagulas memorabiliora Supplementa excipiant.

Interea iuuerit praesentis Catalogi simulacrum pingere. — Partiti sumus hunc in quatuor *Sectiones*. — *Prima* complectitur Collectanea Sphragistica, *secunda* Antiquitates, et Raritates varii generis, et pretii, passim Hungaricas, *tertia* Arma antiqua diuersae formae in Hungaria inuenta, *quarta* Antiquitates graecas, et romanas, perinde in Ditionibus Coronae apostolicae erutas. — Quoduis paradigma tanta cura, et studio adumbrare, exhibere, et indicare contendimus, 1) vt neminem fugeret *forma*, et *figura*, quam repraesentat, 2.) *materia*, ex qua conflatum, et fabricatum est, 3.) *locus* in quo inuentum, vel hactenus conseruatum fuit, 4.) *maecenas*, qui illud largitus est, vel pretium, quo comparatum erat, 5.) *interpretatio*, quae illud, vbi necessum videbatur, illustraret. — In hoc compendio totius Indicis labor, fortasse non plane proletarius concentratur. — Poteram quidem, consultis eruditis adminiculis, ad morem exterorum Museorum, quorum Catalogos L. Begervs, Jacobaevs, Amadvtivs, aliique splendide ediderunt, prolixioribus animadversionibus ex historia, scientia rei antiquariae,

Digitized by Google

mythologia, etc. petitis, atque aeri incisis schematum iconibus Cimeliothecam Hungaricam proponere, augere, et exornare. Sed enim, me etiam tacente, omnis facile perspecturus est causam, quae me ab hac meditatione prohibuerit, et brevitati studere iusserit. — Vtamur igitur *ex modico, quantum res poscit, acervo.*

Dabam Pestini in Museo Nationali Hungarico ad diem XIX. Martii MDCCCXXI.

Digitized by Google

CONSPECTVS CATALOGI.

SECTIO PRIMA.

COLLECTANEA SPHRAGISTICA.

§. I.

Typaria Regum, Reginarum, et Principum Regiorum Hungariae.

§. II.

Principum Transsiluaniae.

§. III.

Episcoporum, Abbatum, Praepositorum, Capitulorum, Canonicorum.

§. IV.

Ordinum Religiosorum, Monasteriorum.

§. V.

Comitatuum, Ciuitatum, Oppidorum.

§. VI.

Officiorum, et Magistratuum.

§. VII.

Societatum, Institutorum, Coetuum.

§. VIII.

Annuli Signatorii, et Typaria Familiarum.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

ANTIQVITATES, ET RARIETATES VARII GENERIS, ET PRETII.

§. I.

Calices.

§. II.

Ollae, et Vasa.

§. III.

Vrcei, Amphorae, et Lagenae.

§. IV.

Scyphi, et Pocula.

§. V.

Paterae, et Scutulae.

§. VI.

Cultri, Fuscinae, et Cochlearia.

§. VII.

Thecae, Pixides, et Cistulae.

§. VIII.

Tabulae pictae, caelatae, et mussiuae.

§. IX.

Statuae, et Protoma medii, ac recentioris aeui.

§. X.

Annuli varii.

§. XI.

Gemmae, et Conchae caelatae, aliaque varii generis Lithoglyphica.

§. XII.

Mundus muliebris varius.

§. XIII.

Iocularia, et Vtensilia.

§. XIV.

Signa Ordinum, Confraternitatum.

§. XV.

Monumenta sacra.

SECTIO TERTIA.

ARMA ANTIQVA VARII GENERIS, ET FORMAE.

§. I.

Vexilla, Tubae, Tympana, et Statuae.

§. II.

Mucrones, Sicae, etc.

§. III.

Pugiones.

§. IV.

Enses, Gladii diuersae formae.

§. V.

Gladii memorabiles.

§. VI.

Frameae Hungaricae.

§. VII.

Hastae, Lanceae, et Secures.

§. VIII.

Clauae, et Cambucae.

§. IX.

Catapultae, Arcus, Tela, Iacula, et Sagittae.

§. X.

Sclopi maiores, et minores.

§ XI..

Pyrothecae.

§. XII.

Antiquae machinae bellicae, et Globi.

§. XIII.

Loricae, Thoraces, Galeae, et Manicae.

§. XIV.

Calcaria, et Stapiae.

§. XV.

Instrumenta castrensia.

§. XVI.

Tropaea.

SECTIO QVARTA.

ANTIQVITATES GRACEAE, ET ROMANAE.

§. I.

Statuae aereae.

§. II.

Statuae, et Protoma ex lapide, testa, osse, etc.

§. III.

Tabulae votiuae.

§. IV.

Typaria, Annuli, et Gemmae caelatae.

§. V.

Arma varii generis.

§. VI.

Vasa, Paterae, Ollae, et Amphorae.

§. VII.

Instrumenta, et Fragmenta miscellanea.

§. VIII.

Fabricata vitrea.

§. IX.

Opera testacea, et fictilia.

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

Collectanea Sphragistica.

§. I.

Typaria Regum, Reginarum, et Principum Regiorum Hungariae.

1) *Typarium* cupreum monetarium, vetustate iam attritum, ex prima Regum Hungariae Periodo, formae orbicularis ad cudendos Obulos bracteatos, Cruce signatos adhibitum.

Istud antiquissimum fabricae monetariae Hungaricae monumentum pertinet ad aetatem Belae I. Regis, cuius obuli cruce notati proponuntur in *Catal. Numismat. Instit. Széchény.* Tab. I. aeri incisi, et in eiusdem Catalogi *Part. I. Serie II. §. V. pag.* 33. explanantur. — Haec aestimatissima raritas, olim in priuilegiato Regio-Camerali Oppido *Ó Arad* e terra, quum domui ponendae fundamenta foderentur, eiecta fuit, et non multo post, denato Abbati C. E. Csanadien. Canonico And. Radványi muneri data, post cuius mortem illud Comitatus Torontaliensis peritus Ord. Vice-Comes, et Aulae Regiae Familiaris Ant. Kiss *de Ittebe* pro Cimelio Musei Nation. Hungar. redemit.

2) *Typarium*, stanno et zinco mixtum; in forma *Sigilli* (vti Iure Hungarico dicere solemus) *maioris*, Geysam II. Regem in solio sedentem, Paludamento, Diademate, Sceptro, atque Pomo aureo amictum, exhibens, cum epigraphi orbiculari literis saeculo XII. vsitatis: ✠ ꝺEISA ꝺI ꝺRA HVꝺARIE DALMATIE ⅅ CROVATIE REX.

Isthoc *typarium* summis rerum Patriarum raritatibus accensendum est. — Anno 1811. Colono agrum subarante, in territorio Possessionis *Berkida*, Comitatui Weszprimiensi ingremiatae, e terra eiectum, S. C. et R. A. M. Consil. et I. Comitat. Weszprimien. Ord. V. Comes Steph. Bésán, Sereniss. Archiduci Iosepho, Hung. Palatino pro Cimeliotheca nationali muneri misit. — Aetas huius typarii incidit ad intercapedinem ab An. 1141 vsque An. 1161. inter quam Geysa II. regnauit. — Praeter contractiones diplomaticas obseruanda est insolita antea inscriptio *Hungarie*, loco *Vngarie*, et Regum titulis, ad morem, a Patre acceptum, insertum regnum *Crovatie*. —

3) *Typarium* plumbeum magni moduli orbiculare: cuius medium Crux duplicata huius formae ✠ occupat, peripheriam inscriptio ambit: ✠ S. MARIE FILIE LASCA ✠ RIS IMPERATORIS ꝺRECORVM.

Digitized by Google

Antiquitatem hanc vix KVLTSÁRIVS in *Hazai 's Külföldi Tudósitások* ad an. 1822. Num. 4. pag. 26. indicauit, in Comit. Tolnensis possessione *Konyi* sub antiqua vite repertam, et apud Loci Parochum STEPH. FEKETE asseruari, iam etiam Sereniss. Archiduci Palatino pro Musei Cimelio tradita fuit. Hanc ad saeculum XIII. referendam esse, Historiarum peritos neutiquam fugit. ACROPOLITA apud KÉRIVM in *Impeator. Orientis* pag. 450. teste, ANDREAS II. Palaestina reuersurus, per regionem THEODORI LASCARIS proficiscebatur. Qua occasione Imperator MARIAM, filiarum alteram, Regis Hungariae filio BELAE matrimonio iungendam tradidit, contestante marmore Spalatensi, quod amissis Clissae duabus filiabus positum est his scilicet verbis:

Bele IIII. filie (Catharina, et Margaritha) *Regis Hungarorum, et Marie Lascari Regine Graecorum*, etc. Reginae typarium literas monastico-romanas (vti in praecedenti) exhibet. Crucem duplicatam cum Imperatoribus Romanis fuisse Regibus Hung. communem, confirmat ipsius BELAE IV. Sigillum, quod KERCHELICHIVS descripsit in *Hist. Eccl. Zagrab.* pag. 338. Ceterum suspicor, typarium MARIAE, cum Regis Sigillo per Cancellarium, vt ROGERIVS in *Carm. miserab.* Cap. 31. perhibet, deperditum fuisse anno 1241.

4) *Typarium* aereum sex digitos longum, et duos latum, quod plurium numorum formas, seu (vt aiunt) matrices, vel typos tam in antica, quam in postica parte ostendit, qui sub mixta Regum Periodo, regnante apud Hungaros Andegauensi (*Anjou*) Stirpe procusi, vel procudendi fuere.

Pretium venerandae antiquitatis ex primordio saeculi XIV. Lilia, regnanti Familiae propria, definiunt. Indubie illius vsum fecerunt monetarii. Repertum est inter rudera Praepositurae Albae-Regiae, a FRAN. VÖRÖS *de Farád* in Comitat. Albensi Tab. Iud. Assessore Museo oblatum.

5) *Typarium* argenteum, aeque monetarium MATHIAE I. cum stylo ferreo, repraesentans partem auersam denarii *Coruiniani*, referentis scutulum Hungariae fasciatum, Inscriptione circumferentiali per nimium vsum extincta.

Vide *Tab. numismat. pro Catal. numor. Hung. et Transyl. Széchén.* Tab. IV. num. 15. Museo obtigit ex dono C. LEOP. ANDRÁSSY *de Krasznahorka*, S. C. et R. A. M. Camerarii.

§. II.

Principum Transsiluaniae.

Typarium argenteum maioris moduli, formae orbicularis, pondere duos biflorenarios aequans, Principis Transsiluaniae JOANNIS KEMÉNY, refert scutum gentilitium cum Insignibus Principatus, vti in parte postica numorum vncialium, quos cudit, obseruare licet. Parmula videlicet circularis, in cuius medio ceruum rangiferum, e Corona prominentem circulus intercipit: in parte superiore Sol, et Luna, latera Aquila, et septem Castella stipant. Scutum coronatum incingit epigraphe: IOANNES KEMÉNY. D. G. PR. TR. PA. RE. HV. DO. ET. SI. CO.

Insignia haec interpretatur SCHMEICZEL in *Erläuterung der gold, und silberner Münzen von Siebenbürgen* pag. 86. exhibetque *Tab. VIII. Num. XLVI.* typos. — Infaustus eius dominatus sub regimine LEOPOLDI I. Imp. et R. ad an. 1661. et 1662. cadit. — Biographiam suam ipsemet concinnauit, a Cl. CAR. RVMI in *Monument. Hung.* Tom. II. pag. 1. vsque 183. editam. Museum, isthoc typarium, inter rariora numeratum, in acceptis refert Com. LVD. RHÉDEI *de Kis-Rhéde*, S. C. et R. A. M. Camer. I. Ord. Leop. Imp. Equiti, et Officii Sup. Comit. in Comitat. Bihar. Administratori.

Digitized by Google

§. III.

Episcoporum, Praepositorum, Abbatum, Capitulorum, Canonicorum.

1) *Typarium* calybeum rhomboidale, exhibens episcopum in ornatu ecclesiastico, cum mitra, qui dextrae manus duos digitos, quasi iuraturus eleuat, sinistra pedum tenet. Marginem explet epigraphe literis monasticis: — *S. Amadei episcopi de Javrino.*

Praivs in *Hierarch. Hung.* Part I. pag. 310. hunc *Homodeum* nominat, et inter annos 1254. et 1256. collocat. — Museo illud an. 1814. cessit Mart. Schwartner in Comit. Pestiens. T. I. Assessor, AA. LL. et Phil. D. Diplom. et Herald. P. P. in R. Vniuers. Hung. Biblioth. Custos Primar. et Facult. Philosoph. Senior. Cfr. *vereinigt. Ofn. u. Pest. Zeit.* an. 1814. pag. 619.

2) *Typarium* aereum aeque formae rhomboidalis, quod scutulo quadrato, cui superius turricula incumbit, Diuum limbo instructum cum flectente ante se mendico (probabilius S. Ioannem Elemosynarium) includit. Peripheriae literis monasticis inscriptum legitur: *S. Joannis Blasii Eppiscopi Eccles. Varadien.*

Ex compluribus huius nominis Episcopis, quos Praivs in *Specim. Hierarch. Hung.* Part. II. pag. 161. et seq. refert, ecquis intelligendus sit? definire arduum est. — Ex characteribus tamen saeculo XII. et XIII. propriis diuinare fas est, isthoc typarium olim pertinuisse ad *Joannem*, qui an. 1181. et seq. Ecclesiae Varadinensi praefuisse legitur. — Inuentum in oppido *Szekszárd*, post vehementiores imbres a Parocho, templum egrediente, pone defluum riuulum, P. Steph. Szüts, e S. P. denato in R. Vniuers. Hungar. Facultat. Philosoph. Directori obtigit, qui illud Museo Nationali viginti thalleris vendidit.

3) *Typarium* cupreum formae rhomboidalis maiusculum, quod scutulum quadrangulare oblongum, in tres areas diuisum, totidem turribus, ad morem gothicum effictis, tectas profert: in medio Virgo Maria, sinu Iesulum fouens, consistit, in dextra vir prolixa barba, sagoque indutus, in sinistra mulier pallio amicta (probabiliter monialis) exhibetur (Steph. et Gisela) infra mediam aream rursum alia basi insistens cernitur, cui includitur Episcopus pedo, mitra, et pluuiali ornatus. Vtrumque latus stipat parmula triangularis, in neutra tamen distingui possunt figurae, vetustate iam exesae. — Marginem occupat inscriptio, quam imperita manus argento expleuit, et literas monasticas adeo vitiauit, vt in cera praeter vnicam literam *n.* aliae nullae exprimi queant. — Nihilominus legi possunt voces: *S. Fratris Henrici D. — — — Episcopi — — ro — den.*

Hoc Ios. Zichy *de Eadem*, S. C. et R. A. M. Camerarius, Consiliarius, et Eques auratus in territorio possessionis *Nágots*, Comitatui Simeghiensi ingremiatae, repertum Museo Nationali obtulit. — Multum affinitatis habet cum ectypo per Schwartnervm in *Introd. ad Diplomatic.* Part. II. Cap. IV. pag. 214. producto. — *Henricus*, truncatis sedis Episcopalis vocibus, cui cathedrae praesederit, non liquet. Praivs quidem *Hierarch. Hung.* Part. I. pag. 249. in serie Episcoporum Quinque-Ecclesiensium memorat huius nominis vnum ab an. 1436. alias *Czirkel* nominatum, natione Sueuum: pag. item 296. in Catalogo Praesulum Weszprimiensium *Henricum II.* ab anno 1330. vsque 1333. An tamen hoc typarium, rudi prorsus labore fabricatum, alicui horum adscribi possit? in defectu certioris documenti Diplomatici, adstrui nequit. — Vt exterum esse credam, quod nonnullis placet, mihi non persuadeo. Affinitas enim figurarum in typariis saeculo XII. XIII. et XIV. apud Germanos, Italos, Gallos, Polonos, et Hungaros eadem fuit. Vbique gustus Gothicus dominabatur, quod structurae sane templorum, quae adhuc supersunt, abunde confirmant.

Digitized by Google

4) *Typarium* aereum ouale, mediocris moduli, scutulum quadratum, infima parte in rotunditatem desinens, continet, cui incisus est Leo pedibus erectis, tres rosas tenens, cum bifurcata cauda. — Supra scutulum tres micant stellulae, quas Galerus episcopalis contegit. — Inscriptio circa marginem loquitur: P. NIC. PLVMB. EPISC. BOSNENSIS.

Hunc PRAIVS in *Hierarch. Hung.* Part. II. pag. 439. Fratrem PLVMBEVM nominat, et intra annos 1669. et 1700. locat. — Erat ex ordine Observantium Sacerdos Roma missus, an. 1695. eundem LEOPOLDVS I. Imp. et R. remittere voluit, sed acceptatus est, quum fuerit de Baronum BERNYAKOVICS, hodie BERNÁTFI *de Olovácz* familia. — Istud typarium vsque an. 1813. Nassicae in Conuentu F.F. de Observantia asseruatum fuit.

5) *Typarium* ouale minus aereum, in duas areas sectum, quarum vna fritillum, altera, ducto per medium fluuio, stellulam exhibet. Scuto Galerus episcopalis incumbit. Epigraphi caret.

Licet in hoc Typario nomen non sit expressum, nihilominus notum est, fuisse gentilitium MATTHAEI DELIVICH, Episcopi Bolinen. Vicarii Apostolici in Bosna, ex Ordine minorum regular. strictior. Obseruantiae, cuius ad an. 1735. meminit EMER. PAVICH in *Ramo viridant. Olivae.* pag. 197. Hoc quoque in eodem Conuentu Nassicae latebat, donec inde Sereniss. A. D. IOSEPHO, Regni Palatino pro cimelio Musei N. H. mitteretur.

6) *Typarium* aeneum rhomboidale, in medio quadriformis scutuli virum longa toga vestitum, cuspidato triangulari pileo opertum, manu dextra pectori admota, sinistra baculo nodato innixa, scilicet Diuum PAVLVM Apostolum ostendit. Literae monasticae, epigraphe *S. Prepositi Jacobi Bachiensis* exprimunt.

Isthoc typarium inuentum est in oppido *Bács* prope rudera veteris ecclesiae, in qua anno 1770. Lapis extiterat, cui D. Apostoli effigies hac plane forma, qua in memorato typario comparet, incisa est. Si ex characteribus iudicandum est, illud ad saeculum XIV. referri potest. — Namque SZVORENYIVS in *Amoenitatib. Hist. ecclesiast. Regn. Vngar.* Fascicul. V. pag. 106. contexuit mancum Catalogum Praepositorum, et Canonicorum Capituli Bachiensis, et *Jacobum* ante annum 1353. locat, simulque Quinque-ecclesiensem Canonicum nominat. Hodie *Praepositura S. Pauli de Bács*, metropolitano Capitulo Cath. Eccl. Colocensis ingremiata, regiae Collationis est. — Hac raritate Museo gratificatus est IOAN. NEP. LÁBOS in Comitatu Varasdinen. Ord. Judex Nobilium.

7) *Typarium* aeneum rhomboidalis figurae, quod formam Templi repraesentat, intra cuius duas turres, labore gothico effictas, vir lorica indutus, sinistra agnum paschalem tenens, consistit: infra vero templi fornicem flectit Abbas, mitra, pedo, et pluviali ornatus: margo demum incingitur inscriptione: *S. Abbatis Ecclesiae S. Johannis Baptiste de Zaboch.*

Schematismus I. R. Hung. qui quotannis Budae typis excudi solet, in serie Abbatum, nullius *Abbatiae de Zaboch* meminit, indubie, quod huc vsque nullum illius vestigium literarium detectum fuerit. Eam tamen aliquando extitisse, isthoc typarium confirmat, cuius epigraphe literis monasticis exaratum, saeculum XII. vel XIII. adperte indicat. — Reperit illud an. 1809. vinicola in promontorio vinearum, inter oppidum *Telegd*, et pagellum *Zaboch* sitarum, pone Magno Varadinum, quod vltra *Vásárhely* olim protensum, saeculo XII. Praeposituris, Abbatiis, Monasteriis, et Ecclesiis eminuisse, Historiae, et Diplomata abunde perhibent. — Aere liberaliter redemtum, ab Administratore Comitatus Bihariens. C. LVD. DE RUÉNDE Museum nationale impetravit.

Digitized by Google

8) *Typarium* cupreum rhomboidale, admodum rudis fabricae, figuram coronati, et sedentis in solio Regis (fortasse Sancti Protoregis) exhibens, cum epigraphi pariter crudi laboris circum marginem: *Sigillum Seraphini Custodis.*

Hoc Typarium rarissimis antiquitatum Hungaricarum monumentis accensendum, ante plures annos in agris pone *Papam*, oppidum Comitatus Weszprimiensis inuentum, de manu in manu transiit, donec Alexivs Mocsy, Postalis Officii Papensis Expeditor Museo offerret. *Custodis* id fuisse *Albensis*, vt credamus, monent ea, quae de hoc memorabili Capituli Albensis Custodiatu ad nostrae aetatis notitiam pertigerunt. — Szvorenyivs *Hist. eccl. Hung. Amoenit.* Fascicul. V. pag. 84. nomina nonnullorum ab an. 1249. Custodum eruit, inter quos *Seraphinus* non memoratur. Quare defunctus Schönvisnervs existimauit, hunc ad initia saeculi XIII. vel exitum saeculi XII. collocandum esse.

§. IV.

Ordinum religiosorum, Monasteriorum, Conuentuum.

1) *Typarium* formae orbicularis aereum, quod effigie potitur Deiparae, Saluatorem sinu tenentis, interclusae sacello. Hoc tribus turriculis eminet, opere gothico formatis, ac ex vtraque parte stellullis micat. — Inscriptio characteribus monasticis typarii marginem occupat ✠ SIGILLVM. CONVENT. MON. SCT. MARIE. REGALIS. VALLIS.

Abbreuiationes inscriptionis mihi legendae videntur: *Sigillum Conuentus Monachorum Sanctae Mariae Regalis Vallis.* — Ipsum typarium adhuc bene conseruatum, ex primis regni saeculis est memorabile, cumprimis propter locum, in quo Conuentus iste steterit. Steterit autem probabilius, vbi aliqua huius nominis Abbatia olim extitit. In *Schematismo I. R. Hung.* memoria superest Abbatis *B. M. V. de Valle Weszprimiensi*, *B. M. V. de loco regali*, *B. M. V. de Valle*, *B. M. V. de Valle honesta*, *B. M. V. de Valle Paradisi*, sed cui horum locorum Conuentus iste monachorum adplicandus sit, dubium manet. — Inuentum est in arce Simeghiensi, non ergo procul Weszprimio, et denato Stephi. Szüts e S. P. datum, qui illud, erga pretium duodecim thallerorum Museo cessit.

2) *Typarium* argenteum, mediocris moduli, orbiculare, triangulari gaudet parmula, cui Crux striata inscribitur. Inscriptio literis monasticis: *Sigillum Fratris Timothei* peripheriam cingit.

3) *Typarium* aeque argenteum, minoris moduli, formam prioris plene referens, attamen sine epigraphi.

Vtrumque inuentum est *Körmendini* in vno, eodemque loco. — Quum in horto Dominali Operarii foderent, inopine rutris, et ligonibus in aliqua sub terra latentis aedificii rudera impegerunt, vbi haec typaria cum pluribus aliis antiquitatibus Hungaricis reperta fuere. Ex characteribus neo-gothicis ipsius inscriptionis coniectandum est, ea pertinere ad reliquias Saeculi XIV. non tamen ad aliquem Abbatem, vel Praepositum. — Obseruatum scilicet est, in typariis, et Sigillis abbatialibns, vel praeposituralibus semper indicari Locum, et Sanctum, cui Ecclesia dedicata fuit; addito etiam quandoque nomine Abbatis, vel Praepositi. In hoc duntaxat nomen *Fratris Timothei* exprimitur. Vnde non temere concluditur, hunc nec Abbatem, nec Praepositum fuisse, sed tantum Priorem, vel Superiorem celebris monasterii, quod illic extitit. Monachis quippe proprium nunquam non fuit, vt se *Fratres* compellarent, nec alio vte-

Digitized by Google

rentur honoris titulo. — Itaque, qui alicui Coenobio praerat, sub religioso nomine ad conciliandam factis fidem, proprium vsurpauit sigillum. Fuit autem Körmendini olim asceterium Ordinis Guilelmitarum, quod *Dyonisius de Oklics* Palatinus e fundamento excitauit, et opimo fundo donauit. V. *Palatin. Regni Hung.* pag. 51. Haec typaria Museo donata esse a Principe PHILIP. *de* BATTHYÁN, Perpetuo in Németh-Viuár, Comite de Strattmann . I. O. Leopoldi Imp. Commendatore, S. C. et R. A. M. Camerario, I. Com. Castriferrei Perpet. ac Supr. Comite iam anno 1814. in *vereinigt. Ofn. u. Pest. Zeitung.* pag. 619. indicatum est.

4½) *Typarium* oualis formae argenteum, mediocris moduli, exhibet D. PAVLVM I. Eremitam, pallio oblongo tectum, in silua palmarum inter cumbentes duos Leones stantem. Eius capiti aduolat Coruus, ore panem adportans: in margine legitur: SIG. PRIORIS PROVINCIALIS HVNGARIAE O. S. P. I. E. id est: *Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitae.*

5) *Typarium* ex calybe, perinde ouale, in magnitudine grossi argentei, ostendit palmae frondosae arborem, quam ex vtraque parte pedibus anterioribus erecti duo Leones sustinent. Supra frondes stat Coruus expansis alis, ore panem tenens. Inferius abbreuiatae conspiciuntur voces literis: A. R. F. P. P. hoc est: *Admodum Reuerendi Fratrum Paulinorum Prouincialis.*

Ordo Paulinorum in Hungaria, cumprimis saeculo XIII. floruit, authore *Eusebio* Canonico Strigoniensi, prout id FRAN. OROSZ in *Synopsi Annal. eremi coenobitici F. F. Erem. O. S. P. I. E.* cap. X. pag. 33. refert. — Sed a JOSEPHO II. Imp. an. 1784. possessorio Bonorum exutus, et abolitus est. — Praepositus Ordinis, quem Prouincialem dixere, duobus his typariis vtebatur, ille quippe argenteo vsus est in expeditionibus officiosis, alterum dumtaxat ad priuatum literarum commercium adhibuit. Post abolitionem diu inter superstites Ordinis Sacerdotes de manu in manum translata fuere. — RAPHAEL POTYONDI, eiusdem aboliti Ordinis Alumnus, se consultissime facturum ratus est, si ea in memoriam sublati olim florentissimi, et nobilissimi per Hungariam Ordinis, ad Cimelium Musei reposuerit.

6) *Typarium* aereum parui moduli, rudi labore effictum, cum signo agnelli Paschalis vexillum cruce signatum anteriore pede tenentis. Characteres monastici *S. Clementis de Cesa* in epigraphi saeculum XIV. produnt.

Figura Sigilli non abludit a Lib. Reg. Ciuit. Trenchiniensis Typario, quod in *Cerograph. Hung.* pag. 162. Tab. IV. num. XX. depingitur. Typarium hoc inuentum inter alicuius monasterii rudera anno 1812. in insula S. Margarethae pone Budam. ANT. PINTÉR Sacer Curio in *Maria Nostre* Museo erga cambium cessit. — Fuisse enim eo loco quinque monasteria BELIVS in *Compend. Hung. geograph.* pag. 119. adnotauit, ac horum aliquod *Clementem* moderatum fuisse, suspicor. *Cesanum* se nominat, probabilius a loco natiuitatis, quae consuetudo hodiedum monachis familiaris est.

7) *Typarium* aereum rhomboidale, maioris moduli, quod in area Crucifixum, a Diua Helena manibus sustentatum, commonstrat cum Ciuitate cui subscriptum est vocabulum IERVSALEM; inscriptionem I. N. R. I. hoc est *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum* in supremitate Crucis folio volanti affixam, stipat ex vno latere Sol, ex altero Luna. Infra vrbem Hierosolymitanam consistit in vna parte epiphipiatus miles, infra hunc hastatus: in altera parte vir compositis manibus corollas marianas versat, et infra hunc stat viator scipioni innixus. Epigraphe in margine est: SIGILLVM. PROVINCIAE. BOSNAE ARGENTINAE.

Figurae in hoc Typario videntur ad Terram Sanctam referendae. Fratribus Ord. minor. regular. Observantiae S. Franc. Seraph. istud typarium iam saeculo XV. proprium erat, illoque fere vsque medium saeculi XVIII. vtebantur. Atenim an. 1735. Prouincia Bosnae Argentinae per Bullam Pontificiam diuulsa, anno 1757. Fratres in Coenobiis per Hungariam, Sclavoniam, et Sirmium dispersi, cum indultu regio nouam Prouinciam erexerunt, eam *S. Joannis a Capistrano* nuncuparunt, huiusque Sigilli loco aliud, quod sequitur, assumserunt.

8) *Typarium* aereum formae rotundae, quod effigiem refert Diui Capistrani, quam diuisus in bifariam 1757. annus neoerectae Prouinciae circumuallat: Diuus in habitu monachali dextra Saluatorem cruci affixum, sinistra Vexillum inscriptis literis I. H. S. *Iesus. Homo. Saluator.* gerit. Marginem abbreviatae literae circumdant: A: R: P: MRI: PROLIS: PROAE: S: IOAN: A: CAPIS: hoc est: *Admodum Reuerendi Patris Ministri Prouincialis Prouinciae Sancti Ioannis a Capistrano.*

Super noui huius Sigilli vsu largitus est Benedictvs Papa XIV. die 15. Junii an. 1757. Bullam, quam Emer. Pavich in *Ràmo viridantis Oliuae* Part. I. Sect. XV. pag. 104. publici iuris fecit. Sed Prouincia, sub regimine Josephi II. Imp. per sublationem plurium monasteriorum iterum mutationes subeunte, hoc quoque typarium abrogatum est.

9) *Typarium* ouale etiam aeneum, quod sedentem, pallioque tectam Deiparam, compositis ad pectus manibus, Iesulumque in sinu cumbentem refert: marginalis inscriptio audit. SIGILLVM. SANCTAE. MARIAE. DE. PIONBO.

Monasterium de Pionbo, seu *Plumbeum*, in Senensi Italiae agro situm est, quo Capistrani ex Hungaria Studiorum causa proficisci solebant. Probabilius ab aliquo in Patriam reduce hoc typarium adportatum fuit.

10) *Typarium* formae oualis, ex calybe, cum icone B. Emerici Hung. Ducis, et cum inscriptione: SIGIL. RESI. PAKS. S. EMERICI. DVCIS. 1763.

Residentiam Paksensem Capistranorum, illico post expulsum sub Leopoldo I. ex Hungaria Turcam, surrexisse, narrat Pavichivs in *Ramo virid. Oliuae.* pag. 379. Sub Josepho II. autem abolita est.

11.) *Typarium* parui moduli, et formae oualis, ex aere, proponens Diuum Laurentium Martyrem in habitu Leuitico, qui vna manu sartaginem, altera Oliuae ramusculum tenet, cum epigraphi marginali: S. LAVRENTIVS.

Isto typario olim vtebatur Parochia *Tárnokiensis* ad S. Laurentium, a Capistranis saeculo XVII. restaurata.

12) *Typarium* orbicularis formae ex argento, minorisque moduli, quod D. Franciscum Seraph. expansis brachiis ante Templi fores flectentem, et leuatis in coelos oculis, pendentem in aere cruci affixum Saluatorem adoraturum exhibet cum inscriptione. ✠ SIGILLVM CONV. SAN. FRANCISCI. OBS. BVDAE.

13) *Typarium* paruum, et ouale aeneum eadem forma, orantem flexis genibus in saxo Franc. Seraphicum proponit, addita inscriptione: SIG. FRANCISC. BVDAE. 1742.

14) *Typarium* ouale paruum ex calybe, quod a duobus prioribus forma non differt, cum epigraphi: S. FRANCISCVS. BVDE.

Religiosis huius Ordinis etiam sub iugo Turcico *Budae* inter christianos magna constantia, non attentis grauissimis persecutionibus, Sacra facientibus, LEOPOLDVS M. an. 1691. locum pro amplissimo Conuentu, et Ecclesia pone Danubium in Aquatica ciuitate assignavit, sed iubente Imp. IOSEPHO II. Claustrum ad S. Franciscum eis ademtum, et Monialibus S. Elisabethae traditum, ac etiam exaedificatum est, cum Infirmaria pro sequioris sexus egenis personis. In compensationem autem Imperator eisdem Parochiam ad viam regiam cum fundis, et Conuentu S. Steph. Protomartyris abolitorum Augustinianorum de larga manica donauit. Vnde trium praememoratorum typariorum vsus desiit.

15) *Typarium* argenteum oualis figurae signatum icone B. M. V. Lauretanae cum inscriptione: SIGIL. CONVENTVS. S. MARIAE BACSIEN.

Typarium hoc extra vsum positum fuit, quum noua Ecclesia B. M. V. in coelos assumtae vna cum Conuentu dedicaretur.

16) *Typarium* aeneum rotundae formae, quod S. Bernardini, dextra lilia, sinistra literas I. H. S. radio micantes tenentis, icone signatum est. Pone caput incisa est litera I. quae nomen Benefactoris indicat: ad pedem dextrum contractis literis MP. innuitur: *Minister Prouincialis*, et per B. ad sinistrum *Bosnae*. Circa orbem inscriptio est: SIGILLVM. RESIDENTIAE. SIMONTORNIEN.

Simontornyae iam anno 1693. hanc Residentiam stetisse, docet PAVICHIVS *Ram. virid. Oliu.* pag. 115. Cum eius autem abolitione imperante IOSEPHO II. vsus praesentis typarii cessauit.

17) *Typarium* aeneum rotundum mediocris moduli cum effigie Saluatoris in cruce pendentis, et epigraphi: SIG. PROV. BOS. seu: *Sigillum Prouinciae Bosnae.*

Prouincialis Ordinis huic Sigillo renunciavit, quum Prouincia Bosnensis in Capistranam transformata est.

18) *Typarium* aereum minimi moduli, explicans inter duos lauri ramos symbolum Ordinis D. Franc. Seraphici I. H. S. id est: *Iesus Homo Saluator*: intermediae literae H. Crux cum Saluatore, ex ea pendente, incumbit, infra eandem tres claui quibus Christus affixus est, per transuersum positi sunt, sine inscriptione.

Pertinebat antea ad Parochiam, quam Budae in *Tabán* Capistrani administrant, sed illud abrogarunt, siquidem Parochialis residentia S. Catharinae Virg. et Martyri dedicata sit. PAVICH in *Ramo viridantis Oliuae.* pag. 170.

19) *Typarium* perinde aereum oualis figurae, et maioris moduli, quod D. Ioan-Capistranum, dextra cruce in altum protensa, sinistra vexillo expanso, quod cruce perinde signatum est, armatum profert, consistentem inter templum catholicum, et moscheam turcicam, subiecto anno 1730. et circumnotata inscriptione: SIGIL. CONV. BELGR. PP. FRANC. PROVIÆ. BOSNAE. OBSE. id est: *Sigillum Conuentus Belgradiensis Patrum Franciscanorum Prouinciae Bosnae Obseruantium.*

Digitized by Google

20) *Typarium* aereum minoris moduli priori simillimum.

Progressum huius Conuentus Pavichivs in *Ram. viridant. Oliu.* pag. 374. adumbrauit, sed, arce, ac vrbe an. 1740. rursum sub iugum Ottomannorum missa, Sacerdotes cum populo Christiano *Zemlinum* commigrarunt, et extincti Conuentus vtrumque typarium secum acceperunt.

21) *Typarium* aereum maioris moduli, formaeque orbicularis, in quo Seraphicus radio decoratus, distendens manibus chordam, stat, ex vtroque latere cinctus Cherubinis, flectente Rege ab vna, Regina ab altera parte, Coronas ante se habentibus, vni subsriptum est nomen LVDO. alteri ELIS. infra lineam S. FRANCI. SERAP. margo signatur epigraphi: SIG: TERT: ORD: S: FF. ARAD: 1753.

Typarium hoc erat Confraternitatis poenitentium, anno 1753. *Aradini* restauratae sub nomenclatione *Tertii Ordinis Sacrae Fraternitatis*, quam Regulares de Obseruantia sub Lvdovico I. R. in Hungaria erexerunt, vt etiam Saeculares religiosorum suffragiorum, missarum, et orationum participes facerent. Iosepho II. omnes in regno Confraternitates abrogante, fundationalesque pecunias fundo religionis inferri iubente, Sigillum cum abolitione sacri (vt aiebant) Tertioratus interdictum fuit.

22) *Typarium* orbiculare ex argento fabricatum, cuius aream occupat D. Franciscus Seraphicus, ante Deiparam, quae Saluatorem sinu fouet, et circumdata choro Angelorum, e nubibus prospicit, extensis brachiis flectens, lucente stellula supra eius caput. Infra nubes symbolum Ordinis I. H. S. videtur; circa sphaeram typarii scriptum est: SIGIL. CONVENTVS. ARADIENSIS. S. M. ANGELORVM.

23) *Typarium* aereum orbiculare, et cum priori eiusdem magnitudinis, cumque eadem inscriptione, adiecto anno 1758. Nihilominus differt per id, quod loco symboli olla flores protrudat, et Diuus loco stellulae circa caput radio splendeat.

Vtrumque Typarium abrogatum est, posteaquam demolito vetere monasterio, Capistrani ab Imp. Iosepho II. in nouo fortalitio Aradiensi splendidis aedibus, ecclesia, et administratione Sacrorum in Xenodochio militari, S. Josepho Sponso B. M. V. dicatis, donati fuere perhibente solemnitatem ingressus Carmine, quod inscribitur: ΠΟΙΕΜΑΤΙΟΝ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΝ *a Fratribus Ord. Min. Obs. Prou. S. Ioan. a Capistrano, dum neo-erectum Arcis Arad Coenobium munifica clementia Augustiss. Imp. et Regis nostri Iosephi II. ingrederentur, decantatum VI. Cal. Junias CIↃICXXↃI. 4. Budae* 1781.

24) *Typarium* ouale aereum iconem referens D. Nicolai Episcopi, et Confessoris, pedo, et mitra decorati, cum epigraphi: SIGIL. CONVENT. S. NICO. IN. VISONT. OB. MI. RE. O. S. F.

25.) *Typarium* eiusdem formae minus cum eadem abbreviata inscriptione denotante: *Sigillum Conuentus Sancti Nicolai in Visonta Observant. Minorum Reformatorum Ordinis Sancti Francisci.*

De aetate huius Typarii nihil constat, pertinuisse illud ad P. P. Franciscanos, qui se *reformatos* vocant, ex inscriptione intellig tur.

26.) *Typarium* orbiculare aereum effigie eminens D. Francisci Seraphici inter radios solis consistentis, cum incriptione: S. C. S. M. I. CAEL. A. P. FR. BELAG. 1717.

Digitized by Google

id est: *Sigillum Conuentus Sanctae Mariae in Coelos assumtae Patronae Fratrum Belagensium*, fortassis *Belegensium.*

Omnia haec typaria a num. 7. usque 26. vti etiam illa, quae §. III. num. 4. et 5. indicantur, post sublationem Coenobiorum, ad Archiuum Prouinciae, a S. Ioan. Capistrano nominatae, quod in Conuentu *Nassiczensi* Sclauoniae existit, deportata fuere. Patres tutiorem locum quaesituri, vt olim ad concinnandas monasteriorum vicissitudines Scriptori suffragarentur, Serenissimo Archiduci Iosepho Regni Palatino in Museo Nationali Hungarico conseruanda an. 1814. tradiderunt.

§. V.

Comitatuum Ciuitatum. Oppidorum.

1) *Typarium* argenteum Comitatus *Neogradiensis*, formae orbicularis, cum manubrio (probabilius ad vsum Vice-Comitis in via faciendum) cuius medium explet parmula coronata quadratuli oblongi; parte infima in rotunditatem deflectens. Huic insistit vir loricatus, in dextra manu euaginato gladio armatus, sinistra scutulum tenens, quo eius pes occultatur, scilicet Hungariae. Numeri arabici in bifariam ita diuisi sunt, vt in vno parmae latere 16. in altero 55. annum 1655. denotantes, exhibeantur. Peripheriae inscriptum est: COMITATVS NEOGRADIENSIS.

Author *Cerographiae Hungaricae* 8. *Tyrnauiae* 1734. huius Sigilli ectypon praetermisit, indubie, quod tum iam deperditum fuerit. Anno 1811. Pesthini in Bibliopolio Kiliano non nemo pro hoc typario Librum a 2 fl. 30 xr. redemit. — Re cognita, ex dispositione Serenissimi Archiducis Palatini, pretium 2. fl. et 30. xr. Bibliopolae persolutum est, et ipsum typarium pro conseruatione Museo resignatum. Nouum Comitatus Neogradiensis Sigillum, quod Matth. Belivs in *Notit. Hung. nouae* Tom. IV. pag. 1. aeri incidi curauit, antiquo simile est, formam tamen non amplius orbicularem, sed oualem sine anno refert.

2) *Typarium* calybeum Comitatus *Albensis*, maioris moduli, et formae orbicularis, in quo Beatissimae Virgini Mariae Sanctus Protorex Stephanvs flexis genibus Diadema regium offert. Orbicularis inscriptio audit: SIGILLVM. COMITATVS. ALBENSIS. 1707.

Ejus typus cum descriptione habetur in *Cerograph. Hung.* pag. 130. Tab. III num. 2. Hodiernum ei affine est. Typarium istud vetus, longiori vsu nimiopere attritum, Status et Ordines Comitatus Albensis abrogandum decreuerunt, nouumque substituendum, quo nunc vtuntur, antiquum autem Museo intulerunt.

3) *Typarium* magni moduli, orbiculare, in duobus frustis, siue Sigillum duplex ex cupro inauratum, parte ab vna exhibetur parmula triangularis cum quatuor fasciis, totidem imperii Hungarici praecipuos fluuios indigitantibus, cuius marginem epigraphe: *Secretum Latinorum Ciuitatis Strigoniensis* literis gothicis incingit: parte ab altera conspicitur Castrum amplum moeniis circumuallatum, quae quatuor eminent turribus

Digitized by Google

duabus portulis lateralibus, et vna porta in medio, ingressum ad Castrum monstrante, in monte situm: peripheriam in margine occupat inscriptio, perinde characteribus gothicis exarata: *Sigillum Latinorum Ciuitatis Strigoniensis.*

Pretiosum istud Typarium diutissime latuit in Archiuo Lib. Regiaeque Ciuitatis *Strigoniensis*, donec Ciuicus Magistratus illud Serenissimo Archiduci Iosepho, Palatino, offerret in Museo deponendum, prouti in *Vereinigt. Ofn. u. Pest. Zeitung. an.* 1814. pag. 619. insinuatum est. Typarii antiquitatem docent fasciae, quae sub Bela III. Rege inualuerunt, Castrum vero non aliud, quam Strigonium illius aetatis repraesentare mihi persuadeo. Ipsos vero *Latinos*, quo nomine Italos ab Hungaris intellectos fuisse, ex legibus Ladisl. I. *Lib. I. Cap.* 31. cognitum est, Coloniam Strigonii tantam habuisse, vt distinctis Priuilegiis, iuribusque municipalibus gauderent, ac honore proprii Sigilli condecorarentur, isthoc Typarium testimonio est. Forma Sigilli, mediocris moduli, quod Author *Cerographiae Hung.* pag. 187. et Tab. IV. num. XXV. Strigonio tribuit, ab antiquo Latinorum desumtum est; et ad Sigilla, vt aiunt, simplicia referri debet. Praivs, qui antiquum non vidit, producit in *Syntag. hist. de Sigill.* Tab. X, fig. 8. fere idem, Turrem scilicet mediam rotundam cum porta patula, infra Arcem in medio velut triangulari fascias quatuor, an. 1330. editum. — Typarium Latinorum Strigoniensium videtur a temporibus Belae III. repetendum, qui imperium an. 1173. auspicatus est: tum, quod characteres in typario latinis gothici mixti, saeculum XII. probent, tum, quod an. 1201. quo Emericvs Rex fundos arcis Strigoniensis *Iobo* Archiepiscopo donauit, *Vicus Latinorum* iam extiterit, perhibentibus Diplomatis verbis: *volumus etiam, quod iidem hospites, et inquilini sint distincti a vico Latinorum.* — Quodsi ab affinitate figurarum, quae inter typarium Latinorum magni moduli, et inter Strigoniense de an. 1330. mediocris moduli intercedit, argumentari fas est, non me puto errare, si partem territorii, quod hodie Liberam, Regiam Ciuitatem constituit, olim *vicum Latinorum* fuisse asseuerauero. Non tamen mihi persuadeo, vt ad credendum aliquis facile accedat, quod nuper vir admodum diligens Fran. Baranyay in *Disq. notitiar. antiquar. L. R. Ciuit. Strigoniens.* pag. 21. ostendere connitebatur, scilicet: Latinos hos fuisse Romanorum reliquias, ad Strigonium ab *Attila* subiugatas, et mox sacra Ecclesiae Latinae amplexas, mutuato argumento ex Thvroczii *Chron. Part. I cap.* 11. quod *Tulna* olim Ciuitas Pannoniae *vrbs Latinorum* dicta fuerit. Corpus Iuris Hungarici sufficientes continet Leges, quas recitare superuacaneum foret, adperte docentes; sub appellatione *Latinorum* nunquam non *Italos* intellectos fuisse. Isti in prima Regum Periodo, Sacerdotio plurimum ex Italia euocato, commercii per Hungariam exercendi gratia, huc allecti fuere, perhibentibus locis, etiamnum sub appellatione *Olaszi* cognitis. Caeterum laudandus D. Authoris conatus, quod suae Disquisitioni Typarium Latinorum, adaequate aeri incisum, praefixerit.

4) *Typarium* sexagonum argenteum magni moduli, proponit Virginem Mariam, quae sinu Iesulum fouet. Regem item lorica indutum, qui Coronam offert; supra eius caput nomen Lodovicvs literis neo-gothicis incisum est, et in margine legitur, *Sigillum Ciuitatis de monte Regis.*

5) *Typarium* perinde argenteum mediocris moduli. In hoc coram Deipara sedente cum Iesulo Rex pallio praecinctus, et corona redimitus, compositis manibus flectit. Inscriptio gaudet literis neo-gothicis: *S. Ciuitatis montis Regis minus. Lo.* id est: Lodovicvs.

6) *Typarium* etiam argenteum minimi moduli, figuram eandem praecedentis plene exprimit, sed epigraphi marginali caret, duntaxat superius pone marginem duabus literis gothicis m t indicatur, *minus* esse Sigillum.

Si Priuilegiis, et Diplomatibus, quibus Regiomontanos a primis Hungariae Regibus donatos fuisse constat, potiremur, et vsus coram, quae illic in Archiuo Ciuico existere nouimus, concederetur, haec triplicis ordinis Typaria, fortassis vberius illustrari possent. Collata illa fuisse a Lodovico I. Hung. Rege, dubitari nequit, docente nomine, in iisdem typariis expresso. Huius aetate in ea regione opulen-

Digitized by Google

tissimae florebant auri fodinae. Posterioribus temporibus Sigilla Ludouicaeana abrogata sunt, sed a Magistratu diligenter asseruata, donec illa, agente Primario eiusdem Lib. Reg. ac montanae Ciuitatis Iudice FRAN. ORGLER, Museo nationali tradita fuissent custodienda, quae praecipuis nunc rerum Hungaricarum antiquitatibus adnumerantur. Modernum Sigillum *Kjbányense*, siue *Regii montis*, magnitudine gaudet mediocris moduli, et ab antiquis paululum abludit, vti ex typo, quem Author *Cerograph. Hung.* pag. 175. Tab. IV. num. XV. dedit, adparet. In hoc enim Virgo Deipara cum pignore Diuino, Sceptro, ac Diademate illustris considet, pone eam Protorex STEPHANVS aurum de arcula Deo filio stans offert, ab eoque manu expansa prehenditur. Summitatem globus terraqueus cum cruce inter Stellas geminas tenet. Quo tempore postremum hoc Typarium in vsum venerit, in defectu alicuius documenti Diplomatici, quod dicam, non habeo.

7) *Typarium* argenteum orbiculare maioris moduli, referens Agnum Paschalem, capite dextrorsum verso, cum expanso Vexillo, quod ex pertica diagonaliter posita, et supremitate in crucem formata, pendet, lucente pone caput agni stellula. Peripheriam circularis ambit inscriptio characteribus gothicis saeculo XV. vsu recepta: () *Sigillum* () *libere* () *ciuitatis* () *trentziniensis.*

8) *Typarium* minus argenteum perinde orbiculare, cum iisdem figuris, et characteribus inscriptionis: () *Sigillum* () *ciuitat* () *trentziniensis.*

Vtrumque Typarium aetatem SIGISMVNDI Imp. et R. redolet, qui hanc Vrbem peculiariter fouit, et an. 1410. inter liberas, Regiasque Ciuitates adoptauit. Quum tamen Priuilegium super vsu Sigilli videre non licuerit, origo agni Paschalis in typario Trenchiniensi ignota manet. Magistratus Ciuicus tum haec duo, tum etiam, quod sequitur, in suo Archiuo tamdiu conseruauit, donicum extra vsum caeteroquin posita, a Serenissimo Archiduce IOSEPHO, Regni Palatino, ad Museum translocari peterentur.

9) *Typarium* mediocris moduli argenteum orbiculare, in quo agnum Paschalem capite in sinistram partem inclinato, Vexillum, pede anteriore, decussatim sustinentem, parmula incingit. Extra hanc circulo includitur romanis literis inscriptio: S. CIVIT. REG. TRINCHIN. E. A. D. Q. T. P. M.

Hoc quoque Typarium saeculi XVI. paulo post abrogatum est, tametsi nouum in *Cerograph. Hung.* Tab. IV. num. XXVIII. et pag. 189. demtis Literis eundem typum retinuerit. Literae vero significant: *Ecce. Agnus. Dei. Qui. Tollit. Peccata. Mundi.* Indicatur quippe Agnus Paschalis, quo Ciuitas in scuto vtitur. IOANNES Rex addictus fortasse Ciuitati, quod iam Pater STEPH. de ZAPOLYA arcem hortis, et aedificiis exornauerit, Priuilegium de vsu *Cerae rubrae* Trenchiniensibus die 2. Febr. an. 1527. largitus est, quod ex nostri *Chartularii Hung.* Tom. XVI. pag. 550. Curiosorum caussa huc transscribere nequaquam piguit:

„ Nos IOANNES Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie, etc. Memorie commendamus te-
„ nore presentium significantes quibus expedit vniversis, Quod nos posteaquam ex dei optimj voluntate ad
„ hanc Regie dignitatis gubernationem euecti sumus, Id nobis semper, et in primis cure fuit, vt sub-
„ ditorum nostrorum, qui fauorem nostrum meritis suis sunt consequutj, commodis, et vtilitatibus stu-
„ deremus, eosque quo adeo fierj posset, ex benignitate nostra Regia, dignis virtutum suarum premijs
„ decoraremus. Cum igitur ex hac causa, tum vero humillima supplicatione fidelium nostrorum pruden-
„ tum et circumspectorum Blasii herdij Iudicis, Georgij Magolth Iurati, Laurentij literatj, et Georgij
„ Kropach, Ciuium Ciuitatis nostre Thrincheniensis. In suis, et universorum Civium Inhabitatorum,
„ Incolarum Inc. Civitatis nostre predicte nominibus et in personis nobis porrecta, clementer exaudita,
„ Ac et inductj fide, constancia, integritate. alijsque virtutibus et gratissimis servitiorum meritis, que
„ nobis ijdem Ciues et Inhabitatores dicte Ciuitatis nostre sedulo semper, ac fideliter exhibuerunt, Eis-
„ dem, et eorum posteris hanc specialis gratie nostre prerogativam dandam duximus, et concedendam,
„ Imo damus, et concedimus per presentes: ut ijdem a modo perpetuis semper temporibus Sigillo eius-

Digitized by Google

„ dem Ciuitatis nostre, quo ad presens vtitur, vniversas, et quaslibet literas quacunque de causa in „ eorum medio scribendas et emanandas Cera Rubri coloris obsignare. huius modjque Sigillo in cera „ ipsa, quibuscunque literis ipsorum appenso, vel impresso, Is vigor et fides, atque integritas, que „ Sigillo aliarum Ciuitatum nostrarum similis coloris haberj solet, semper et vbique habeatur, et exhi- „ berj debeat, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Strigonij, In festo purifi- „ cationis Beatissime Virginis Marie. Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo septimo, Regnorum „ nostrorum predictorum Anno primo. (L. S.) Relatio. Magrj Francisy de Bashia Secretary Regie Majest. „ francus Bashyanus Secretarius Regius.

10) *Typarium* argenteum, formae orbicularis, mediocris moduli, referens scutulum quadrangulare oblongum, cuius infima pars in acumen desinit. Huic insistit Capricornus tum anterioribus, tum posterioribus pedibus erectus, et Diademate tectus. Idem. Capricornus apicem Scuti inter lacinias occupat. Circulum incingit inscriptio: SIGILLVM: O: SEDIS CVMAN KOLBAZ ANNO 1660.

Typarium hoc ea cumprimis de caussa memorabile est, quod ad praecipuam olim Cumanorum sedem, seu primam mansionem *Kolbász-Szék* dictam pertinuerit. Vnde nonnulli literam O: in hoc typario pro *ó* id est: *vetus* habendam putant; malim tamen sub voce abbreuiata intelligi *ordinarium*, vel *oppidanum*. Narrante Petr. Horváth in *Commentat. de init. et maiorib. Iazyg. et Cuman.* Part. II. Cap. II. pag. 230. istud oppidum perquam olim populosum per Turcas, et Tartaros adeo deuastatum fuit, vt in Praedium, in quo hodiedum rudera templi existunt, conuerti, et possessorio *Kunhegyesiensium* adscribi debuerit. Loci tamen excidium duntaxat cum exitu saeculi XVII. euenire potuit. Perhibente enim eodem authore *Part. VII.* 128. *et* 129. Leopoldvs I. Imp. et R. Kolbászszékiensium Priuilegia, a praecedentibus olim Regibus concessa, adhuc 1668. confirmauit. — Typarium hoc Ioan. Illésy, Capitaneus Districtualis in Cumania maiore reperit, et Serenissimo Archiduci Iosepho, Palatino, in Museo conseruandum transposuit. Repertum illud fuit apud oppidi haidonicalis *Szoboszló* incolam Mich. Nagy, cui per successionem ab auo Valentino condam Cumaniae maioris Capitaneo obtigit, fortasse illud ab interitu saluare volente.

11) *Typarium* aereum rotundum parui moduli, brachium lorica indutum, gladium euaginatum manu sustinens, addito anno 1628. Parmula circumdatur epigraphi: FÜL DEÁKI NEMES PECSETI.

Inuentum est inter rudera propugnaculi, quod *Graditi* vocant, in territorio possessionis *Rácz-Pecska*, Comitatus Aradiensis, et oblatum Museo a Ioan. Georg. Pythely, Regio-Cameralis Dominii Aradiensis Inspectore. Hodie pagus *Feldéak* in Comitatu Csanadiensi situs, ad familiam *Návay* pertinet. Cfr. Váły *Magyar Ország. le-irása* Tom. I. pag. 686.

12) *Typarium* aereum parui moduli, formam referens octogonam, quod rudi labore in rotunda parmula exprimit duas decussatim cumbentes aristas, ac tertiam inter has diagonaliter erectam, addita ad latus dextrum lunula, ad sinistrum stellula; parmulam extus ambit informis inscriptio: SIGILVM DE TORDA.

Signa characteristica indicant fertilitatem, olim sub Principibus Transsiluaniae Haidonicalis oppidi, nunc Pagi *Torda* in Comitatu Bihariensi. Abundat enim, perhibente Vályo *Magy. Orsz. le-irása.* Tom. III. pag. 512. frumento, hordeo, auena, et fagopyro. Effossum est an. 1820. in arce Strigoniensi, et Museo cessum ab Alexand. Mérei de *Kapos-Mére* S. C. R. A. M. Camer. ac Bonor. Primatialium Regente, nunc ad Excel. Consil. R. L. H. Consiliario.

Digitized by Google

VI.

Officiorum, et Magistratuum.

1) *Typarium* cupreum, formae orbicularis, et maioris moduli, gaudet scutulo quadrato, quod inferius in rotunditatem vertitur, cuius area lilio trifurcato ornatur. Insigni scilicet dominantis olim in Hungaria stirpis *Andegauensis*. Marginem Typarii occupat gothicis characteribus epigraphe: ✠ s iohis. burt. auctorit. impi. iu. norius ✠

Vti auctoritate apostolica, ita quoque imperiali, immo vtraque simul instructos Notarios publicos a saeculi XI. exitu per XII. et XIII. in Hungaria floruisse, affirmat Schvartnervs *Introd. in rem Diplom.* Par. II. Cap. V. §. 153. pag. 215. Typarium nostrum indubie est saeculi XIV. si non XV. Nam ex Elencho apud Szvorényivm *Hist. eccles. Amoenit.* Fascicul. I. Num. IV. §. 2. pag. 49. constat, Notarios publicos vltra medium saeculi XVI. apud nos extitisse. Quis sub abbreuiato nomine *burt.* lateat? me fugit. Putant nonnulli legendum esse: *Sigillum Iohannis Burter auctoritate imperiali iuratus Notarius.* Ad aetatem Mariae I. eiusdemque coniugis Sigismvndi Imp. et R. functiones illius referendas esse, docent Lilia typarii, et Sigis. *Decr. II. art.* 3. quo Notariorum publicorum potestas restringitur. Hoc typario sub primordium saeculi XVIII. quidam in Comitatu Threnchiniensi impostor Passuales pro mendicis signare, et expedire solebat. Fraude detecta, confessus est, se ex alicuius Familiae Archiuo in Comitatu Posoniensi illud surripuisse. Mox datis an. 1730 temeritatis poenis, tardius huius raritatis compos factus Aloys. e L. B. Mednyanszky *de Megyes*, S. C. R. A. M. a Cubiculis, qui Museum nationale ea locupletauit.

2) *Typarium* calybeum mediocris moduli orbiculare, in quo Themis Dea, siue Iustitia togata, galeataque super Dracone stans, dextra gladium, sinistra stateram tenet, cum epigraphi supra Deae caput: SEMPER IVSTVS. Circa marginem scriptum est: IVSTINVS NŒRBER NOTAR: PVBL: CAESAR: IVRAT:

Hoc antiquitatum monumentum in Comitatu Neogradiensi infra arcem *Fülek* Colonus ligone pone cauletum e terra eiecit, et Museo duobus aureis Coruinianis vendidit. Figurae, et Literae videntur saeculum XVI. significare. Ea enim aetate in Hungaria Notarios adhuc Publicos functiones suas peregisse, intelligitur ex catalogo, quem a Szvorenyio *Hist. eccl. Amoenit.* Fasc. I. n. IV. §. 2. p. 49. compilatum, supra dictum est.

3) *Typarium* cupreum, formae orbicularis, et mediocris moduli, profert Scutum gentilitium, scilicet anserem expansis alis; Scuto incumbit galea coronata, ex qua cristae protuberant, addito nomine: KAREL. WODICZKA Z. GENSDORF.

Erat is post recuperatam an. 1686. a Turcis Budam Cameralis Inspector, qui destitutus Sigillo Officii ad faciendam expeditionibus literalibus fidem sub proprii nominis gentilitio Sigillo quasuis literas signauit, vti in Bibliotheca regni autographae Funduales an. 1689 *Emerico Monáz* super domo Albae Regiae concessae extant sub pendenti Sigillo *Ioan. Steph Werlein* Consiliar. et Cameralis Inspectoris. – Typarium Wodiczkianum, Vetero-Budae an. 1811. in Cellario Domus ad ripam Danubii inuentum, Ant. Pintér, nunc Parochus Mariae Nostrae Museo erga pretium vnius Thalleri procurauit.

3) *Typarium* cupreum maximi moduli orbiculare gerit in scuto Capricornum erectis pedibus. Parmulam contegit Corona ex lauro confecta cum lemmate: MANET: AVREA COELO. Nominis inscriptio implet peripheriam: SIGILLVM. AMANDI. GARTNER. A. GRVEB. EQVITIS. S. C. M. A. CONSIL. COM. PAL. ET CAPITANEI.

Digitized by Google

Isthoc typarium a tempore amissae Seruiae in Conuentu P.P. Franciscanorum *Cresceui* oppido Regni Bosnae latuit. Anno 1812. Episcopus Dauliensis, et Vicarii apostolici Coadiutor Avgvstin. Millerich istud ibidem reperit, et ad Museum N. H. misit. *Gartnerus* post pacem Passarouiczensem an. 1718. in Seruia inspectionem fodinarum, quales in regione Cresceuensi ferri, lythargirique diuites sunt, curamque administrationis praeterea politico-militaris sibi delatam habuit. Sed territorio hoc post annos duos supra viginti ad Ottomannos iterum redeunte, Typarium hoc ab aliquo inuentum, in memorato Conuentu depositum fuit.

§. VII.

Societatum, Institutorum, Coetuum.

1) *Typarium* aereum, mediocris moduli, in cuius area pileum hungaricum, vulgo *Csákó* dictum, erecti duo Leones anterioribus pedibus sustinent. Inscriptio germanica in peripheria Opificum Coetum indicat: HVTMACHER ZV KRAN.

Typarium hoc Pileatorum Strigoniensium anno caret, ac proinde eorum Coetus duntaxat post recuperationem arcis, et vrbis coalescere potuit, fortasse sub initium saeculi XVIII. Georg. Forgó Med. D. II. Comitat. Pest, Pilis, et Solth articulariter vnitor. Physic. Ord. et in Comit. Neograd. T. I. Assessor illud procurauit.

2) *Typarium* aereum Societatis medicae, referens Symbolum Sanitatis.

Inuentum est in horto Musei. Huic similem typum exhibet editio Plotini Marsiliana Basilaeensis. fol. 1540. a me Bibliothecae cessa.

§. VIII.

Annuli signatorii, et Typaria Familiarum.

1) *Annulus* argenteus formae octogonae, cui parmula incisa est, referens Ciconiam recuruo collo. Supra eandem stellula micat cum literis R. G

Formae literarum R. et G. antiquitatem annuli ex saeculo XV. loquuntur. Sed quis sub his lateat? diuinandum est. Raritatem hanc Museum cambio procurauit.

2) *Annulus* orbicularis argenteus, exprimens Crucem duplicatam  incinctam quatuor informibus saeculi XIV. literis K. quibus totidem cruculae, hac forma K ✠ K ✠ K ✠ K ✠ interiectae sunt.

Si ex Cruce coniectandum est, fortassis Viri erat religiosi, et K. vel nomen gentilitium, vel locum *Körmend*, in quo inuentus est, denotat.

Digitized by Google

3) *Annulus* orbicularis argenteus sine vlla inscriptione laterali, referens expansis alis Vulturem volantem, quae pedibus praedam portat.

Fortasse hoc signo nomen gentilitium *Sass* indicatur. — Hanc consuetudinem hodiedum in nonnullis Scutis nobilitaribus vsuuenire nouimus, vt ex signis nomen intelligatur.

4) *Annulus* argenteus rotundus Liliis Stirpis Andegauensis decoratus, sine aliquo nomine.

Fortassis haec cum speciali Priuilegio alicui familiae concessa fuere. Solebant enim olim Principes regnantes etiam Ciuibus, de regnante Domo bene meritis, partem proprii scuti indulgere. Ita Matthias I. *Corvinus* Bernardo Monello, Reginae Beatricis Supremo Aulae Praefecto, largitus est coruum scuto gentilitio inserendum perhibente Lapide sepulchrali, qui in horto Musei N. H. asseruatur.

5) *Annulus* etiam argenteus formae orbicularis limbo punctato, et altero lineali prouisus, in quorum medio signum, vel inscriptionem, more saeculi XIII. et XIV. Sigla Ꝺ gothicum supplet.

Nomina contrahere, et initiali Litera in annulis, ac typariis exprimere, antiquam esse consuetudinem, testimonio est hic, et plures alii superiorum saeculorum in Hungaria annuli.

6) *Annulus* argenteus orbicularis, Sagitta signatus, quae ex vtroque latere stellula stipatur.

Fortassis sub hac nota characteristica quidam *Nyilas* intelligendus est.

7) *Annulus* argenteus, formae rotundae exhibet crucem Patriarchalem, limbo punctulato incinctam, quae parte vna monasticam literam *B.* altera *R.* ostendit.

Quis sub his literis lateat, diuinandum est, tametsi nonnulli se Belam Regem detexisse putent.

8) *Annulus* argenteus orbicularis, caelatus coruo glandiario, expansis alis, inscriptis extra orbem literis monasticis *S.* (*Sigillum*) NICOLAI.

Probabilius sigillaris iste annulus ad Praepositum alicuius religiosae Domus pertinebat.

9) *Annulus* argenteus orbicularis comprehendit monasticam literam A. circulo inclusam, extra hanc inscriptiogermanica peripheriam occupat: ✠ MARIA h.t. I. f. id est: *Maria hilf.*

Haec sigillaris inscriptio inuocationem Diuinam redolet, probabilius a religioso viro, qui sub A. latet, ex Germania oriundo vsurpata. Plura enim iam ab aetate Caroli M. extant Germanorum annuli, et typaria, quibus talismodi religiosa emblemata incisa sunt. Nec ab Hungaris alienas fuisse eiusmodi pias exclamationes, exemplum praebet Bulla aurea Mathiae I. in qua perinde dicitur: *Dominus Deus Adiutor meus*, etc.

10) *Annulus* argenteus orbicularis eandem monasticam literam, punctulato circulo vallatam, complectitur.

Digitized by Google

An sub A. idem, qui in priori annulo, vel alter intelligendus, quis definiuerit?

11) *Annulus* aeque ex argento, formae rotundae, circulo inclusam commonstrans literam monasticam D. additis liliis Andegauensibus.

An lilia sponte adsumta sint, vel ornamenta sint, ex concessione regia? non temere quaesiuerit Heraldicae peritus, quum haec regnantis Domus signa ea aetate fuerint gentilitia. Vix proinde credi potest, vt initialem literam D. licuerit illis sine priuilegio decorare.

12) *Annulus* cupreus, olim inauratus, orbicularis formae, cuius orbitam totam Rosa implet.

Circulus, cui lamella agglutinata fuit, confractus est. Rosam, aliosque flores, fuisse olim praeprimis apud Germanos, Gallos, et Italos signa characteristica Familiarum in scutis gentilitiis, notissimum est.

13) *Annulus* argenteus orbicularis, paulo maior caeteris, cuius orbita informem gruem expansis alis ostendit.

Hoc signo vel *Vigilantia*, vel nomen alicuius familiae, *Daru* dictae, significatur.

Caeterum isti duodecim annuli sigillares a num. 2. vsque 13. videntur esse Personarum religiosarum, quae praefecturam alicuius Monasterii gesserunt. Reperti enim omnes fuerunt *Körmendini* cum Typario *Fr. Timothei*, quod Sect. I. §. num. 3. adumbrare conati sumus, ac ex liberalitate Philip. Principis a Batthyán cum nonnullis aliis Hungaricis antiquitatibus nationale Museum iisdem dotatum est.

14) *Annulus* aereus, protuberante nodo orbiculari instructus, cui decussatim incisa sunt duo Vexilla, inter quae lunula vna superius, altera inferius locata est.

Caelatura laborem saeculi XVI. indigitat. Inuentum in Comitatu Hontensi Museo obtulit Petrvs Kvbinyi *de Felsö Kubin, et Déménfalva*, complur. II. Comit. Tab. Iud. Assessor.

13) *Annulus* argenteus oualis formae, repraesentans, minus fabre effictum Pelicanum cum lunae cornu.

Quantum ex fabrica coniectare licet, videtur haec antiquitas ad saeculum XV. referenda esse. Comparatus est annulus iste per Museum 6. fl. M. C.

16) *Annulus* eburneus cum lamella aurea octogona inaequalium laterum, proponens caput, collumque anatis cum stellula, circumdati inscriptione minutis characteribus gothicis: S. Johannis.

Inuentus est in Comitatus Albensis arce diruta *Csóka-Kö*. Probabilius pertinebat saeculo XIV. ad aliquem de illustri prosapia *Nádasdiorum*, qui hoc castrum olim possederunt. RR. D. Ios. Szabó, Abbas de Sóvár, C. E. Alba-Regal. Cantor, et Canon. AA. LL. et Phil. Magist. ac SS. Theol. Baccal. rarissimum hunc annulum Museo intulit.

17) *Annulus* argenteus, orbicularis formae, inter duos ramos auiculam sedentem repraesentat, quae rostro ramusculum tenet: super hac pone marginem tres literae I. T. F. visuntur.

Digitized by Google

Annulus bene conseruatus est, et fortassis saeculi XVII. Literae I. T. F. indubie possessorem denotant. Effossus anno 1820. fuit in praedio *Pö-Halom*.

18) *Annulus* aereus, oualis formae, referens clauam diagonaliter positam, nodo aciculato instructam, pendentibus ex vtraque parte duabus caudis equinis, nodum vero clauae vtrinque stipat Luna dimidiata.

Signa docent, annulum hunc esse originis Turcicae, et fuisse sigillarem alicuius Praefecti militaris, scilicet Bassae, a duabus caudis equinis nominati. Hunc an. 1819. in praedii *Kondoros* agris inuentum, vti etiam praecedentem, num. 17. Museo nationali cessit Th. Cseptsányi compl. Comitat. Tab. Iud. Assessor.

19) *Annulus* perinde aereus, et oualis formae, si duo lunae cornua, quae in hoc desiderantur, excipias, priori adaequate simillimus.

Hunc Pestini occasione, qua Xenodochio Ciuico fundamenta iacta fuere, ibidem e terra eiectum Ioan. Boráros Comit. Pestiens. Tab. Iud. Assessor, et eiusdem nominis L. R. Ciuit. Senator Museo tradidit. Duos hos annulos ex reliquiis esse saeculi XVI. et XVII. quibus Turcae in Hungaria dominabantur, sponte intelligitur.

20) *Annulus* aeneus, oualis formae, aquilam expansis alis, rudi manu effictam exhibens.

Fabrica saeculum XV. loquitur, Aquila autem nomen gentilitium. Obseruatum enim est, quod Sigismvndvs Literas nobilitares cum Armis collaturus, complura Nobilium Scuta, ab eorundem nominibus deriuauerit. Annulus inuentus est inter arua possessionis *Vál* in Comit. Albensi, et ab Ant. Hyszár, eiusdem Comit. Vice-Fiscali Museo resignatus.

21) *Annulus* aeneus, oualis formae, complectitur duplicis ordinis fructus cum cauliculis, sed adeo imperita manu effformatos, vt distinqui nequeat, an poma, pyra, vel pepones repraesentent.

Putatum est, annulum hunc sigillarem denotare alicuius loci fertilitatem, vel hortorum culturam, ab impetratore procuratam esse. Quidquid horum sit, parum refert; nouisse sat est, annulum hunc spectare ad reliquias Hungaricas saeculi XV. et inuentum Albae Regiae, Museo a Franc. Vörös *de Farád* donatum esse.

22) *Annulus* in circulo aureo elegantem smaragdum continens, nitide caelatum oblongo scuto, in duas areas secto: quarum dextra Crucem duplicatam refert, sinistra fluuios Hungariae indicat. Scutum Corona tegit, cui Crux incumbit. Idem vtrinque laciniis incingitur, quae sex literis stipantur, superius a dextris S. a sinistris B. in medio dextrorsum T. sinistrorsum P. inferius in parte dextra S. in laeua C. hoc est: STEPHANVS. BOCHKAY. TRANSSILVANIAE. PRINCEPS. SICVLORVM. COMES.

Si ex numis, qui a *Bochkayo* cusi prostant, iudicare fas est, annulus iste duntaxat postremo gubernii Transiluanici anno, quod cum morte die XXIII. Decembr. 1606. deposuit, caelatus fuerit. Nam a Schmeiczelio in *Erlauterung Gold, und Silber Münzen von Siebenbürgen* pag. 53. et Tab. III. num. XVIII. vnicus duntaxat, quem vltimo vitae suae anno cudit, profertur numus vncialis, qui cum hoc annulo aliquid affinitatis habere videtur, quum eandem Crucem duplicatam, easdemque fascias Hungariae in annulo expressas, perinde exhibeat; quae in aliis eius numis ante annum 1606. procusis non obser-

Digitized by Google

uantur. Insignibus Hungariae solummodo post conclusionem Pacificationis Viennensis, et obtentis Comitatibus Szolnok, Kövár, Arad, Zaránd, Kraszna, et Bihar vsum fuisse, mihi persuadeo. Titulus quoque, quem ex hoc numo vnciali vsurpat, Literis annuli accurate correspondet. Praetermisso enim axiomate natalis sui soli in Comitatu Bihariensi *Kis-Maria* (quod oppidum singularibus Priuilegiis donauit) se scripsit: *Stephanus Bochkay, Transsiluaniae Princeps, Siculorum Comes.* Corona, quae Scutum in annulo premit, an pro diademate Hungariae haberi debeat? mihi dubium mouet. Quum enim Rvdolphi Imp. et Regis Gubernator, Generalis Basta Transsiluania excederet, Bochkayvm, Claudiopoli Principem a Statibus, et Ordinibus electum, Praefectus Turcicus, nomine Aulae Ottomanicae confirmaturus, consuetis Signis, scilicet Vexillo, Framea, et Claua inuestiret, etiam Corona aurea condecorauit. Ad hoc fortassis Regiae maiestatis ornamentum in annulo isto sigillari alluserit, a familia sua nunquam postea vsurpatum, quae anno 1668. in Comitatus Zempliniensis Supremo Comite itidem Stephano Bochkay *de Kis-Maria* expirauit. Post huius defectum annulus iste ad Comites Szécsényi *de Felsö Sárvári Vidék* peruenit. Nuper denati Excell. Comitis Francisci vidua, matrona sagacissima, Ivliana e Comitibus Festetics *de Tolna* donicum maritus viueret, digito gestabat. Anno 1816. mihi eundem pro Museo impetranti spopondit, se, vel Coniuge suo mortuo, omnino cessuram. Soluit promissi fidem, et per filium Lvdovicvm S. C. et R. A. M. Camerar. Sereniss. Archiduci Iosepho, Regni Palatino, proxime die XXXI. Ianuar. 1822. muneri misit. Qui lynceis oculis se potiri putant, in hoc annulo non literam B. verum H. (forte *Hungariae*) sibi videre videntur. — Sed, etiamsi res ita se habere censeatur, tamen haud alteri, quam Stephano Bochkayo gemmulam hanc tribui posse, ex combinatione eorum, quae dicta sunt, intelligitur.

23) *Alius* sigillaris argenteus, in scuto triangulari referens alam aquilae, cuius marginem ambit nomen possessoris, a parte sinistra legendum: ✠ ᔕ DIONYᔕ . Iᑐ I. M.

Annulus iste an. 1819. in *Budaörsiensi* Promontorio repertus est a vinicola Simeone Paver, et Museo cessus. Forma scuti triangularis antiquitatem fatetur. Ex alis aquilinis, quae Comitibus Wiczay propriae sunt, coniectare pronum est, annulum hunc ad aliquem de *Hédervára* pertinuisse. In Historia enim *Palatinorum R. Hung. fol. Tyrn.* 1761. tres memorantur *Dionysii de Vialka et Hédervára*, qui maiores Comitum de *Viczay* fuere. Isti hodie axioma de *Hédervára*, et in scuto *alam aquilae* vsurpant. Nisi Dionysii nomen legeretur, dicerem esse alicuius de Kanysa. Nam istis quoque erat aquila. Wagner Dec. I. Tab. I. fig. 9.

24) *Typarium* parui moduli aereum, scutulo quadrangulari, inferius rotundo laciniisque decorato, in quatuor areas diuiso, praeditum; vna Crucem duplicatam, altera auim, tertia arborem, quarta leonem ostendit. Scuto incumbit galea coronata, ex qua Crux prominet.

25) *Aliud* eiusdem moduli, et metalli, cum Leone erectis pedibus coronato. Scutum tegit galea, cui vir insistit toga indutus, manu rosam tenens.

Vtrumque Nassicza cum caeteris §. III. et IV. memoratis ad Museum pertigit.

Digitized by Google

SECTIO SECVNDA.

Antiquitates, et Raritates variigeneris, et pretii.

§. I.

Calices.

1) *Calix* saeculi XIV. duas, et mediam libram argenti ponderans, vnum pedem altus, maxima parte auro illinitus, et labore gothico fabricatus est. — Huius vasculum circa medium circulus ambit, intercipiens monasticis literis epigraphe: ◆ *hic* ◆ *est* ◆ *calix* ◆ *noui* ◆ *testamenti* ◆ *in meo* ◆ *sanguine.* Infra hunc circulum idem vasculum itidem circulus latior, ornamenti caussa, circumuallat ex liliis conglomeratus. — Pone fundum vasculi sacrae visuntur icones haud inauratae, vtpote: Sanctissimi Saluatoris, B. M. V. cum Iesulo, Apostolorum Petri et Pauli, Sanctarum item Barbarae, ac Elisabethae. Istud vasculum insidet stilo, seu manubrio, quod superius sex aras, siue sacella gothicae structurae ostendit, cum totidem Crucibus. Vbi per Sacerdotem manu prehendi solet, parmulae quadratae, nigro colore caelatae, inscriptionem argenteis literis exhibent: |m|ar|ia|hi|lf| id est: *maria hilf.* In stylobata conspicitur mobilis lamella argentea, quae encaustico labore caelatam proponit Reginam, diademate redimitam, capillis ad humeros protensis, ac eiusdem capiti incumbente Diua Barbara. Hanc lamellam circumdat effigies Apostolorum Petri et Pauli, Diui Ladislai, item Protoregis Stephani, et Emerici Ducis. In patinula argentea huius calicis, auro tincta, incisus est Saluator e sepulchro resurgens.

Venerandum hoc veteris pietatis monumentum ab immemoriali tempore in Parochia oppidi *Torna*, cuius amoenitatem Vály in *Magy. Ország. Leirás.* Tom. III. pag. 314. adumbrauit, conserua-

Digitized by Google

tum erat. Herus Dominii, Comes Ioan. Keglevich *de Buzin*, S. C. et R. A. M. a Cubiculis, tutiorem ei locum assignaturus, an 1815. VIII. Octob. Sereniss. Archiduci Iosepho, Hung. Palatino, in Museo posthac custodiendum, resignauit. — Industrius Steph. Kvltsár in *Hazai 's külföldi Tudósitás.* ad. an. 1807. Tom. II. pag. 402. Calicis huius descriptionem cum variantibus opinionibus vulgauit. Singuli per seiunctas literas in errorem deducti sunt. *Mariam, vi Viduam*, l. iste *Ludouici, ille Lascaris*, f. filiam legit. Contra tamen Diplomaticae periti primo obtutu easdem literas *Maria hilf* interpretantur. Hungaris *Uram segits*, Germanis *Maria hilf* inuocationis formulae sunt familiares. Hanc probabilius a teuthone artifice profectam, credere par est. Quemadmodum vero nullius episcopi effigies in eo existunt, ita nullius quoque Mariae Reginae donum haberi potest, sed Barbarae *Cilleiensis*, quam Sigismvndvs Imp. et Rex an. 1408. Sibi matrimonio iunxit. Haec fortasse Aram in honorem S. Barbarae posuit, eidemque Calicem istum dicauit. Iconem Diuae huius bis effictam in eo esse, compertum est, ac etiam semel S. Elisabethae, cuius nomine matrem ex illustri *Schauenburgensium* prosapia, in baptismo insignitam fuisse, docet Ioh. Gotth. Martini in *Diss. de Barbara Cileiensi Sigism Imp. altera Coniuge* Cap. II. pag. 5. atque idem nomen Barbarae *Cileiensis* et Sigismvndi filiam in baptismo accepisse, nuptam postea Alberto Imp. et Regi caeteroquin nouimus. Extat praeterea coaeua Reginae Barbarae imago, quae a forma, in Calicis huius stilobata expressa, ne hilo abludit. His verosimilium rationum momentis Calicem saeculi XV. Barbarae alteri Coniugi Sigismvndi adscribere visum est, saluo peritiorum iudicio.

2) *Calix* perinde antiquus saeculi XV. ex argento, opulente inauratus, auroque solido contextus; pondere tres pene libras, et altitudine semialterum fere pedem adaequans, gaudet grandiore vasculo, cui triplicis ordinis scuta incisa sunt formae quadratae, inferius in rotunditatem desinentia: vnum refert SS. Saluatorem e Corona prominentem, alterum eminet Castro cum turri, quam binae stipant stellulae, in tertio semet anas expansis alis e Corona protrudit. Vasculi dimidiam partem pallium ex purissimi auri filis, opere reticulato, concinne compositum, eius nitorem, pretiumque augentibus quinquaginta octo maioribus vnionibus, et octo supra decem pyropis brasilianis, tum etiam stilum, siue manubrium, tum stylobatam integre tegit. Cauitati stylobatae in aduersa parte tribus lineis sequentia inscripta sunt: LEONARDVS. CIANVS. TRIDENT. CATH. ECCL. VAC. CANON. SACERD. OB. BENEFICIA. GRATI. ANIMI. MON. A. XCI. MDCCXCIX.

REGIS OPVS, DONVMQVE FVI, POST SAECVLA TANDEM
ME TRIA GENS TENEAT CLARA MIGATIA DVM.

Calici huic addita quoque est patinula argentea auro illinita.

Cianivs SS. Theol. D. Abbas S. Augustini de Colocza, C. E. Vaciensis Cantor, et Canonicus, qui nunc Tridenti residet, adhuc tempore, quo abolitorum sub Iosepho II. Imp. in Hungaria monasteriorum sacri adparatus auctione publica Budae plus offerenti diuenderentur, pretiosum hunc Calicem, vt faucibus Hebraeorum eriperet, proprio aere redemit. Antequam, curandae valetudinis caussa, in Patriam proficisceretur, memor beneficiorum, quibus a Cardinale condam Christoph. e Comitibus Migazzi *de Wall et Sonnenthurn* donatus fuit, gratitudinem suam contestaturus, Cardinalis nepoti itidem C. Christoph. Migazzi Perpetuo in *Aranyos Maróth*, S. C. et R. A. M. Camerario eandem muneri dedit. Iste vero pro singulari sua munificentia ad Museum nationale translocauit. Quo fretus testimonio Cianivs *Regis opus, donumque* dicere potuerit? ignoro. Puto duntaxat ex opinione Mathiae I. tribui. In ipso Calice nulla sunt regii doni vestigia. Si a tribus parmulis vmbilico incisis argumentandum est, Scutum, et Saluatorem e Corona surrecturum referens, signum est dedicationis Ecclesiae, fortassis Abbatiae SS. Saluatoris de Lekér, vel de Szekszárd, aut Praepositurae SS. Saluatoris de Pápocz, vel de Csanád; alterum, Castrum

Digitized by Google

turri munitum repraesentans, fortasse ipsam Abbatiam, vel Praeposituram denotat; dem m tertium, anas quippe expansis alis semet e Corona erigens, probabilius donantis est gentilitium, fors *Nádasdiorum*, qui anate a saeculis in scuto vtuntur.

3) *Calix* argenteus, et inauratus, cum operculo, duos pedes geometricos altus, tres marcas, et vndecim semuncias ponderans, vmbilico oblongo, vnius semis capace, instructus, circa superiorem marginem epigraphe exhibet: N. HVNIADI FERENCZ, ÉS ALMÁSI BORBÁRA AIÁNDEKOZTÁ AZ KOLOSVÁRI VNIT. EKLK ISTEN DÜCSÖSÉGÉRE 1731.

Isthaec inscriptio non annum fabricae, sed memoriam donationis annunciat. Hic enim calix ex quatuor antiquissimis frustris coagmentatus est. Vmbilicus, et stilobata, seu basis, unius, eiusdemque formae floribus exornantur, et opus germanicum saeculi XIII. redolent. Operculum cristatum in modum tecti assurgens, nihil affine cum aliis partibus calicis habet, et saeculum XVI. loquitur. Stilus, siue manubrium citra omne dubium labor Romanus est, ex fragmentis alicuius Candelabri, cuius generis Schatzivs in *Antiquit. graec. et rom. Tab. LVI.* plura exhibet, compositus. Omnia haec cochleis tam affabre iunguntur, vt vnum opus efficere videantur. Museum comparauit a *Salamone Kunenwalder* sexaginta quinque Thalleris in argento.

4) *Calix* pretiosus, cuius vmbilicus ex magna concha margaritifera, varios colores ludente, constat. Haec vndique argenteis, auroque tinctis armillis immarginata, eleganti et artificioso opere composita est. In puppi Neptunus, ex argento formatus, ceto insidet. Concham taliter armatam sustinet Atlas ex fuso argento affabre effictus, qui vno pede flectens, altero paululum inclinato, manubrii vices supplet. Ipsa vero basis perinde ex probissimo argento nitide fabricata, auroque illinita, auget pretium. – Labor est saeculi XVI. et quatuor libras adpendit.

Pertinebat olim ad cimelium Csáktornyense *Zrinianum*, quod Tollivs in *Epistol. itinerar.* epistola VI. pag. 241. vehementer extollit. Qua via ad Comites *Kéry* pertigerit? ignotum est. Vltimus de hoc genere, claustro Posoniensi Monialium a S. Clara legauit. His abolitis, in auctione publica Exc. Stephanvs Marczibányi *de Puchó et Csóka*, S. C. et R. A. M. act. intim. Stat. Consiliarius comparauit, cuius successores ad Museum transtulerunt.

5) *Calix* saeculi XVII. cum operculo ex probissimo argento artificiose in gyros tornatus, vnum pedem geometricum in altitudine superans, vnam libram ponderans, vmbilico intus bene inaurato.

Calix iste pro Ciborio, in quo panis eucharisticus conseruabatur, sumtibus Tüskeváriensis incolae Pavli Martonyi pro Ecclesia Loci olim procuratus fuit. Cum abolitione monasterii Ordinis S. Pauli I. Erem. auctioni publicae expositum, redemit Steph. Marczibányi *de Puchó*, cuius successores eodem Museum dotarunt.

6) *Calix* ex magna nuce americana, quam coccum vocant, excauata, cum operculo ex eadem nuce. Vmbilicum incingunt plures armillae, auro tinctae, quae manubrio, et stilobatae iunguntur, fabricamque saeculi XVI. testificantur. Operculum interne lamella argentea, et inaurata vestitum, ostendit incisum scutulum duplicatum, duntaxat ex parergis effigiatum, cum duabus in medio literis L. I. Supra idem scutulum visuntur abbreuiatae voces BVN. AGL.

Digitized by Google

Ad has literas, et abbreuiatas voces apte interpretandas, nulla adsunt vestigia, ea propter illas in obscuro relinquimus, nec aliud de hoc calice referre possumus, quam, quod a successoribus Stephani Marczibányi Museo donatus sit.

7) *Calix* perinde vmbilico ex eiusdem speciei nuce, instar globi rotunda, floribus eleganter caelata, eminens, et armillis ex argento deauratis incinctus. Operculum integrum ex argento formatum est, cui Genius insistit, vtraque manu glabras parmulas tenens. Manubrium, et basis perinde ex argento laborem saeculi XVI. definiunt. Postremus eius possessor nomen suum STEPH. SZILVAI. 1803. in operculi caùitate indicauit.

Museum nationale Calicem hunc ob vetusti fabricati elegantiam pretio aestimationali centum tribus et decem Rhenensibus, ac triginta Cruciferis M. C. redemit.

8) *Calix* ex nuce oualis formae maiori, affabre armillis, circulis, manubrio, et stilobata ex cupro, solide deaurato, armatus.

Si laborem antiquum saeculi XVI. excipias, nec pretium, nec aliud speciale ostendit. Inuentum in Transsiluania *Maros - Vásárhelyini* a C. Ios. a Batthyán, Perpetuo in Németh - Viuár, S. C. et R. A. M. Camerario, olim ad Gubernium Regium Transsiluanicum Consiliario, Museo cessum fuisse in *vereinigt. Ofner - Pester Zeitung* an. 1821. Num. 36. pag. 506. insinuatum est.

9) *Calix* vitreus cum operculo nitide caelato, vmbilicum referens oualis formae, qui sextarium recipit, decoratum encaustici operis duobus scutis. In vno scilicet ouali Leo erectus aureus campo viridi insistit, superne prominentes duae e nubibus manus Coronam auream sustinent. Laciniis caeruleis, auro mixtis, inserta sunt trophaea; inter quae duo Vexilla caerulea, duo candido colore picta sunt, vnicipite aquila nigra, expansis alis, tincta. Alterum plurium arearum fritillum exhibet, auro, argento, et caeruleo colore tesselatum, cui Ceruus incumbit. Scutum premit galea coronata, ex qua aureae tres sagittae cum totidem plumis caeruleis decoratae prominent. Laciniae autem caeruleae argentum spargunt. Vasculum infixum est manubrio, atque basi ex stanno cum epigraphi,

GLÜCK ZV! WAS TREV ERHALTEN.
GOTT! LASS VNS REDLICH WALTEN.
H. F. V. 1727.

Ex hoc versiculo clare intelligitur, Calicem hunc esse nuptialem. Fuisse enim non modo in Germania, sed etiam in Hungaria olim consuetudinem, Sponsis offerre Calices, vel Pocula, eorundem honoribus dicata, e quibus occasione nuptiarum Paranymphus, pronunciatis versibus, primus, dein reliqui ad epulas socii pro incolumitate neo nuptorum bibere solebant. Morem hunc inter homines nationis illyricae adhuc hodie vigere in Croatia, Dalmatia, et Sclauonia obseruatum est. Nomen, quod sub trinis literis latet, eruendum aliis relinquimus. Museum hunc Calicem supra iam memorato *Sect. I. §. VIII. num.* 19. Ioan. Boráros in acceptis refert.

Digitized by Google

§. II.

Ollae, et Vasa.

1) *Olla* ex obsidiano Comitatus Zempliniensis ad formam rotundi vasculi polite tornato, circumsepta vndique armillis ex subtilissimis ductilis argenti filis, operculo quoque ex iisdem filis contexto.

Meminerunt huius Ollae *Acta Mus. N. H.* Tom. I. pag. 129. quam Steph. Marczibányi suo aere tornari, et filis argenteis vestiri curauit, eius autem successores Museo resignarunt.

2) *Olla* ex steactite diaphano, floribus caelata, epistomioque eiusdem lapidis instructa, pro conseruanda herba chinensi, quam Theam nominant.

Flores multo studio caelati, diligentiam artificis, et gustum saeculi XVI. loquuntur. Posteaquam vltra centum annos in Pharmacopolio litorali Flumine vsui conseruandae Theae adhibita fuisset, fatis functus Excell. Ioan. e Comitibus Szápáry *de Eadem*, Perpetuus in Murai-Szombat, et Szécsi-Szigeth S. C. et R. A. M. Camerarius, Act. Int. Status Consiliarius, I. Ord. S. Steph. R. Apost. Magnae Crucis Eques, ac Sereniss. Archiduc. Iosephi Hung. Palatini Supremus Aulae Praefectus suo aere redemit, et paulo ante obitum Musei antiquitatibus adnumerauit.

3) *Olla* testacea tam grandis, vt integram vrnam capiat.

Nihil singulare ostendit, nisi quod olla coquinaria fuerit, et ex reliquiis Turcicis esse videatur. Effossa est Budae an. 1815. profunde e terra, in proximis ad hortum Palatinalem agris versus promontorium Csepelyiense, et a Sereniss. Archiduce Iosepho Palatino ad Museum missa.

4) *Olla* argentea, elegantis formae, duos sextarios recipiens, vnam libram ponderans, insistit tribus globis maiusculis inauratis; vmbilicum ornant tria capita laureata cum inscriptione nominum *Furius Cam. Amintas. Mausolus.* His interiecta sunt trophaea, vtpote: gladii, hastae, secures, vexilla, tympana, aptissime inter se locata, auroque tincta. Operculum simili globulo deaurato adperitur, perinde decoratnm iconibus virorum illustrium *Sullae*, *Ptolomaei*, et *Bruti*, haud tamen inscriptis nominibus, quae incinguntur scutis formae oualis, perinde trophaea exhibentibus.

5) *Olla* praecedenti similis, aeque argentea, suis locis inaurata, vnius sextarii capax, et pondere quadraginta semuncias tenens, tribus etiam insistit globulis. Vmbilicum ornant incisae icones cum nominibus DOMITIANI, TRAIANI, ANTONINI PII, incinctae floribus inauratis. Operculi globulus auro, flores argento splendent.

Vtramque ollam saeculo XVII. pro conseruanda herba nicotiana fumatoria adparatam, in Transsiluania possedit olim quidam Comes *Gyulaffy*. Post cuius obitum de manu in manum tamdiu circumactae fuerunt, donec Museum easdem tum antiquitatis, tum elegantiae, artificii, simulque valoris interni caussa, pretio ter centum Rhenens. M. C. emeret. Icones magna diligentia caelatae sunt, et accurate correspondeut imaginibus, quas Artzenivs in splendida Amstelodaemensi Sex. Avr. Victoris editione aeri incidi curauit.

Digitized by Google

6) *Vas aquiminarium* pro aqua lustrali in Ecclesiis Romano-Catholicis adhibitum, intus plene inauratum, vnius sextarii capax, ex argento tam solide fabricatum, vt vni fere librae aequiparari possit, basis infima, margo superior, et circa vmbilicum epigraphe literis gothicis incisa, auro olim illinita fuere. Ansam huic vasculo fuisse in vtroque latere vestigia ostendunt. Antiquitatem operis, ad saeculum fortasse XI. referendam, contortae literae, et inuerso ordine positae probant, inscriptionemque ✠ *Aue* ✠ *Maria* ✠ *Regina* ✠ *Punnoniae* ✠ *Domina* lectu difficilem reddunt.

Singulare hoc antiquitatis Hungaricae monumentum *Körmendini* cum typariis, et annulis sigillaribus, quos Sect. I. §. IV. num. 2. et 3. ac §. VIII. a num. 2 — 13. recensuimus, ac a Principe Philip. *de* Batthyán donatum est. – Affinem huic typum videre est in Phibert. Hveber *Austria ex Archiu. Mellicen.* Tab. ad pag. 297. num. IV.

§. III.

Urcei, Amphorae, et Lagenae.

1) *Vrceus* elegans saeculi XVII. ex pellucida crystallo montana, munitus operculo crystallino quoque, ac manubrio, marginibusque ex argento solidissime fabricatis, iisdemque olim inauratis.

Magnitudo, pelluciditas, et crassities Vrceum, ex vno frusto formatum, facit inaestimabilem. Archiepiscopus olim Colocensis Herrmann *e Comitibus* Patatich *de Zaiezda* eundem ex Italia tulit, post obitum Canonico *Kiss* reliquit, quo mortuo serius ad manus Steph. Marczibányi pertigit, a cuius successoribus ad Museum translatus est.

2) *Vrceus* pretiosus ex vno integro, et grandi frusto eboris elegantissime effictus cui incisae sunt multa cum industria bachantes in vndis Nereides, sparsis capillis, quae remigantem Neptunum persequuntur; vna vero earum fugientem, ac concham inflaturum Tritonem capit, et amplectitur. Operculum, manubrium, et basis, vti etiam interna vestitura ex solido argento, eoque inaurato admodum nitide fabricata sunt. Labor saeculum XVII. redolet, quo opera eburnea in Germania, Gallia, et Hungaria plurimi aestimabantur.

Nec Romanis opera eburnea fuisse ingrata, intelligitur ex Ovid. *Fragm. de medicam. faciei* versiculo 10. *Sectile deliciis India praebet ebur.* Artifices vrceum hunc in Gallia fabricatum fuisse existimant. Steph. Marczibányi, (cuius successores Museo donarunt) in auctione publica Baronis de Managetta non leui pretio redemit. — Interpretatio fabulae, quae hunc vrceum nitidissime sculpta commendat, quaerenda est in Pomeii *Punth. myth.* Part. III. pag. 184. et seqq. respondetque opportune Statii *Thebaid.* Lib. III. versiculo: *Stat celer obsequio iussa ad Neptunia Triton.*

Digitized by Google

3) *Vrceus* argenteus, parte aliqua inauratus, qui semuncias triginta quatuor et mediam adpendit, operculo, et ansa munitus, praeterea anaglyptico labore fabricatis iconibus *Achillis*, *Hectoris*, *Aiacis*que decoratus. Inferiorem partem pone basim cingit epigraphe: GIOGIVS. SZEGEDI. VXOREM. SVAM. CZELI. ELISZAB. HABET. 1630. MEG· EMLEKOZEL. EMBÖR. HOGI. MEOG. KEL. HALNOD. In fundo vltimi possessoris nomen literis contractis I.S. id est: *Iosephi Szegedi de Gyula Fejérvár*, olim Aulici Consiliarii, et Referendarii Transsiluanici ad Cameram Caesareo-Regiam Aulicam Viennensem Corona tegitur.

Vrceus iste magni aestimatur, tum ob internum pretium, tum ob nitorem laboris, sed maxime, quod productum hungaricum esse, inscriptio perhibeat, ac quidem annorum prope iam ducentorum. Familia *Szegedi de Alba Iulia* vel *Gyula Fejérvár* etiamnum apud Transsiluanos in Comitatu Kükülöiensi existit. Ex epigraphi vigens adhuc saeculo XVII. orthographia hungarica cognosci potest. Museum hunc vrceum triginta aureis redemit.

4) *Vrceus* ex nuce coccea, armillis argenteis, vti etiam basi, et operculo, omnibus tamen auro solide tinctis, manubrioque armatus.

Fabrica vrceoli est saeculi XVI. quam multis annis Emer. Car. Raffay, Ecclesiarum Bosnensis, seu Diakovariensis, et Sirmiensis canonice vnitarum Episcopus possedit, anno autem 1813. ab eodem ad Museum transportatum esse, iam alibi insinuatum.

5) *Amphora* ex terra Sinica, coloribus variegata, cuius pars inferior, vti etiam ansa, et operculum sunt argento armata.

Hungarus sacerdos S. I. e Missione Chinensi redux secum attulit, serius ad Excell. Steph. Marczibányi peruenit.

6) *Alia* encausto instar lapidis conglutinata, ad altitudinem vnius pedis, in forma coni cum ansa efficta, iconibus ex sacrarum Literarum hiſtoria desumtis, eleganter caelata. Antiquitatem saeculi XVI. annus 1570 impressus indicat.

Tum hanc, tum priorem Successores Steph. Marczibányi *de Puchó* Museo reliquerunt.

7) *Alia* ex eadem materia affabre caelata, encausto caeruleo picta, cum scuto gentilitio, et manubrio ferreo, signata an. 1677. in Osdgyán effossa.

Váły in *Magy. Orsz. Leirása.* Tom. II. pag. 721. Osdjánienses incolas asserit nunquam non fabricandis vasis fictilibus vitae alimenta quaesiuisse. Forte haec amphora ibidem efficta est. Petr. Kvbinyi *de Felsõ Kubin* eam Museo intulit.

8) *Amphora* ex argilla, semialterum sextarium recipiens, encausto fusci coloris picta, figurisque ex Plavti Comoediis affabre exornata, tam bene conseruata, vt recenter formata putetur.

Haec post recuperatum a Turcis an. 1683. Strigonium, in arce sine omni vitio reperta fuit, repurgataque a sordibus vltra saeculum ibidem conseruata, donec a Ioan. Endér, eiusdem Lib. Regiaeque Ciuitatis Tribuno, ad Museum vltro conseruanda deportaretur.

Digitized by Google

9) *Lagena* vitrea maior, duorum sextariorum capax quadrangularis cum epistomio, caelatoque familiae *Bakyanae* scuto gentilitio, cuius angulis superioribus adstant in parte siniſtra G. GEORGIVS, in dextra B. BAKY. Inferius hic arabicis numeris 16. ibi 95. annus 1695. expr imitur.

Per vetustatem obseruatur diaphanitatem amittere, et iam caliginosa euadere. Missa est ad Museum a IOAN. NÁVAY *de Feldeák*, S. C. et R. A. M. Consil. et I. Comitat. Csanadien. Ord. Vice-Comite, proxime fatis functo.

10) *Lagenula* Turcica in forma oblongi quadri ex succino electrico, floribus nitidissime condita, cum epistomiolo ebenini ligni, quod ex argentea catenula pendet. Caelatura monet, isthoc schema ad sacculi XVI. gustum pertinere. Videtur asseruando opio, vel oleo rosarum deseruiuisse.

11) *Lagenula* aeque turcica, priori minor, formae rotundae, instar turriculae, etiam flosculis ad gustum asiaticum concinne caelata, perinde ex succino electrico, in conum argenteum assurgente, epistomiolo quoque electrino instructa. Eidem, cui prior; vsui accommoda.

Vtraque Serenissimi Archiducis IOSEPHI, Palatini donum est. Sunt ex reliquiis postremi belli Turcici de an. 1788. et 1789. In castris enim post pugnam ab *Martinyestje* complures talismodi lagenulae ex diuersae speciei pretiosis lapidibus, vitris, et crystallo innuentae fuere, in quibus vel opium, vel oleum rosarum asseruatum fuit.

§. IV.

Scyphi, et Pocula.

1) *Scyphus* argenteus, auro tinctus, ex saeculo XVI. repraesentans Ceruum, qui eleuato pede dextro anteriore, alios tres fulcit in basi, siue tabula, etiam argentea et deaurata. Haec buffonibus, lacertis, serpentibus, aliisque reptilibus, concinne fabricatis, tegitur. Cerui collum armilla quinque crystallis montanis, rubro, viridi, et caeruleo colore, tinctis, decorata ambit. Caput vices operculi subit, corpus scyphum vnius sextarii exhibet. Ponderat libram minus semuncia.

Est ex reliquiis Csáktornyensibus Comitum *Zrinyi* nobilis antiquitas, quam Excell. STEPH. MARCZIBÁNYI suis opibus adnumerandi occasionem nactus est, eius successoribus eandem postea Museo resignantibus.

2) *Scyphus* argenteus ad formam tubi intus, et extus inaurati cum operculo, cui insistit vir loricatus, perinde ex argento nitide effiguratus. Tres *Gratiae*, seu (vti HESIODVS eas in *Theogon.* ἀπο τῆς χαρας nominat, quippe *Charites*) ex vno eboris fruſto, multa cum diligentia effictae, dignum operi pretium addunt.

Digitized by Google

Scyphum hunc cum primordio saeculi XVII. Protestantes Scepusii per aurifabrum *Georgium Nunnert* artis suae bene peritum *Leutschouiae* fieri fecerunt, et visitanti ea in regione Ecclesias electo Archi-Episcopo Colocensi *Martino Pethő* dono obtulerunt, prouti haec vberius a Cl. GENERSICH in *Merkwürdigkeiten der k. frey Stadt Kesmark.* II. pag: 166. illustrantur. Scyphum hunc Consiliarius Caes. Reg. Ios. GLVDOVÁCZ, Pethöanus condescendens successione ad se deuolutum, reliquit nepoti suo, Equiti Aurat. Comitat. Bácsien. Tab. Iud. Assessori LEOPOLDO MÁRFY *de Cséb*, qui eodem Musei national. antiquitates et raritates adauxit.

3) *Scyphus* argenteus, qui figuram Pauonis refert, in altitudine vnius pedis, pondere libram sustinet, insistit basi perinde ex solido argento fabricatae, collum repraesentat minus poculum, venter maius efficit, sextariumque recipit. Fabrica saeculum XVI. commonstrat.

Huius generis scyphi superioribus saeculis in vsu summopere fuerunt, et nobilissimarum Familiarum mensas occasione conuiuiorum exornabant, hodie in gazophylaciis, conseruandae memoriae causa, per vniuersas Ditiones Hungaricas, et Austriacas custodiuntur. Attamen penes Coetus Opificum in Ciuitatibus Hungariae, Bohemiae, Silesiae, Poloniae, et Austriae etiamnum copiosi, pretiosi, et antiqui diuersarum formarum reperiuntur. Sic: fabri ferrarii equos, Laniones boues, Sutores calceos, et ocreas, alii aliarum figurarum scyphos ostendunt, atque occasione, qua in Conuentu coehali magistros assumunt, boethos creant, etc. passim gulae indulgetur, et huiusmodi scyphis falernum intemperanter hauritur. Probabilius hic quoque Pano commessationibus coehalibus olim adhibitus fuit. Museum nationale pretio ter centorum florenorum redemit.

4) *Poculum* turcicum viginti septem semunciarum, conum repraesentans cum latiore orificio, et fundo angusto, ex purissimo argento, glabrum, ante duo saecula fabricatum.

Effossum est *Budae* in vineis versus Buda Örs probabilius a tempore recuperationis, quo illinc Vezirium Castra metatum fuisse, coaeuae perhibent historiae. Vinicola, quum illud effoderet, fundum poculi retro vitiauit: ab eodem Museum duodecim thalleris emit.

5) *Poculum* magnum argenteum, duobus sextariis capiendis aptum, e diuersi moduli numis Brunsuic. Luneb. Brandeburgicis coagmentatum, in parte interiore, vti etiam in margine circa numos auro tinctum.

Describitur in *Zeitschrift von und für Ungern.* IV. Band 2. Heft pag. 129. his verbis: „Der „ Becher ist zwar kein ungrisches Fabricat, ist aber doch schon seit geraumer Zeit in Ungern nach al„ ter Gewohnheit beym Gesundheits Trinken gebraucht worden. In Gewicht hält derselbe $41\frac{5}{4}$ Loth, ist „ in und auswendig vergoldet, und fasset mehr, als eine so genannte ungrische Halbe (*halbes Maass*) „ Oben an Rande liest man die Worte: M. C. GRAFINN. ANNO. 1765. Dann folgen in drey Reihen „ achtzehn Braunschweigische, und Brandenburgische Silber-Münzen, die in dem Becher gleichsam ein„ gefasst sind, und dergleichen einer auch an Boden befestiget ist. Die erste Reihe enthält Gulden„ stücke von Brandenburg *Friedrich* von Jahr 1690. und 1692. Die zweyte Reihe Thaler von dem Her„ zogen von Braunschweig *Georg Wilhelm* 1664. *August.* 1662. und *August Wilhelm* 1730. Dann von dem „ Churfürsten von *Braunschweig-Lüneburg Georg I.* 1715. und 1723. und *Georg III.* 1735. Die drit„ te Reihe bestehet aus Guldenstücken von dem Churf. von Brandenburg *Fridrich Wilhelm* von Jahre „ 1688. 1690. und 1693. Die Münze an Bode des Bechers ist von *Friedrich* Herzog zu Braunschweig, und „ Luneburg." Fabricatum hoc vltra medium saeculi XVIII. haud protendi, ex praemissa numerorum serie facile comprehendi potest, et fortasse a Comitissa, cuius nomen in Literis initialibus M. C. latet, possessum in Hungaria, adparatum tamen extra Patriam numi monent. JOAN. BELEZNAY *de Pilis* S. C. et R. A. M. Generalis Campi Vigiliarum Praefectus inter Clenodia domestica tenuit, donec eius vidua, nata JVLIANA e L. B. PODMANICZKY anno 1804. Instituto nationali reliquisset.

Digitized by Google

6) *Poculum* libatorium ad vsus Pharmacopaeorum ex variegato lapide serpentino Toroczkensi, epistomio, et manubrio instructum, floribusque ex vno, eodemque lapidis frusto nitide, et artificiose sculptum.

Lapidem hunc ex Transsiluania an. 1767. Residentiae S. I. M. Varadinensis Superior tulit, et poculum hoc ex vno frusto exsculpendum, ac polie ndum Lapidario italo, in episcopali Oppido *Olaszi* degenti, commisit ad vsus Pharmacopolii. Hoc sublato, ob singulare, quo eminet, artificium Steph. Marczibányi in auctione publica istud fabricatum Hungaricum comparauit, eius autem successores, inferendum Museo, rati sunt.

7) *Poculum* crystallinum cum operculo polite caelatum, basi, octogono circulo argenteo, et deaurato, incincta.

8) *Poculum* oualis formae libatorium ex iaspide hungarico, cuius basis circulo argenteo, eoque inaurato, intextis sexaginta quatuor hyacinthis fulget.

9) *Poculum* perinde ex iaspide hungarico, venulis rubescentibus, et punctulis candidis diaphanum, formae orbicularis, cuius basis annulo inaurato vincitur.

Tria haec Pocula, quae indubie saeculo XVII. perquam venuste elaborata sunt, hoc cumprimis nomine pretium habent, quod ex magnis, et ex integris frustis exsculpta sint. Possederat ea olim Generalis Campi Mareschalli Locumtenens, et Fortalitii Cassouiensis Commendans, Nic. L. B. Mednyánsky *de Medgyes*, a quo emtionis iure ad Steph. Marczibányi transierunt. Cum eius obitu per successores Museum in possessorium omnium trium paradigmatum venit.

10) *Poculum* e duabus magnis conchis margaritiferis pellucidis compositum, figuram Cassidis repraesentans, Scuto caelatum, et coloribus distinctum. Maior concha vices poculi subit, quae minori, partes manubrii agenti, incumbit.

Schematis huius labor saeculo XVII. perfectus fuisse in Germania existimatur. Artificium nimiopere probatur. Illud condam pertinuisse ad aliquem olim in Imperio Romano-Germanico regnantem Praelatum, ex attributis, quae Scutum stipant, tum ecclesiasticis, tum militaribus, verisimile est. In Hungariam, qua via peruenerit? non vestigamus. Car Zarka *de Lukafalva*, complur. II. Comitat. Tab. Iud. Assessor, die XIX. Mart. 1811. Archiduci Iosepho, Palatino sacrauit, addito versiculo:

Neptuno gemmas, Ganymedi nectar, Achilli
Cassidem: en autem me do, Palatine Tibi.

11) *Poculum* memorabile argenteum saeculi XVI. eximie fabricatum, parte aliqua etiam inauratum, in forma foeminae Sueuicae, quae leuatis in altum manibus, super caput sustinet scaphulam cupream, auro illinitam, cum epigraphi literis germanicis: *weyl. den hocherleichten Herr Doctor Martino Luthero Catharina de Iborret.* Eisdem literis in circulo inferiori argenteo repetitur offerentis nomen: *Catharina de Iborret*, in infimo autem deaurato annus cum nomine artificis expressus est: *fecit Ihan Walter.* 1530.

Poculum hoc ex quatuor illis coaeuum est: quorum *Lutherus* in Testamento suo meminit. Possidet autographum, commode adhuc conseruatum, Pestini plurium Comitatuum Assessor *Nic. Iankovich*

Digitized by Google

de Jeszenicze, et Vadas. Poculum altitudinem vnius pedis, et pondus duodecim semiunciarum superat. Diu de manu in manum in Germania oberrauit, donec cum primordio saeculi XVIII. ad Saxones Transsiluaniae deportaretur. Vbi non modico aere Excell. Steph. Marczibányi *de Puchó* redemit. Successores perennem huic monumento in Museo locum assignarunt.

12) *Poculum* vitreum nuptiis *Pauli Lányi* cum Domicella *Barbara Dirner* ab amicis adparatum, quod vnum, et dimidium sextarium capit, Scutis praeterea Sponsi, Sponsaeque gentilitiis, et lemmatibus sat affabre caelatum est. Vni circulo includitur scutum in duas areas sectum, hic anchora, ibi Grus eleuato pede dextro, insistit sinistro. Scuto incumbit galea coronata, super qua inter duas cristas itidem Grus eminet. Pone galeam in sinistra parte litera P. in dextra L. nomen Pavl. Lányi exprimit. Parmula incingit lemma: SPERATE. PRO. LIBERTATE. VIGILATE. Idem lemma concluditur cum parmula circulo, in cuius peripheria incisum est: ANCHORA. SPES. MEA. GRVS. VIGILANTIA. DVM. VOLO. PENNIS. — Scutum autem Sponsae habet Leonem erectum, qui anterioribus pedibus tenet truncum, quatuor ramusculis viridescentem, penes hunc duae literae B. et D. nomen denotant Barbarae Dirner. Scutum premit Corona, super qua Leo scutarius stat. Circa scutulum lemma loquitur: *Es grünne der Stam wol richende Rosen.* Hoc cum parmula septum est circulo, addito epiphonemate: *Der Löw schützet, dass wol nützet der grünnende Stam.* Interiecta sunt istis Scutis symbola, quorum vnum exhibet vrbeculam, solis radiis illuminatam, assurgente ante eam in altum heliotropio florescente. Pone solem legitur: *Ich folge Dier:* inferius: *Du Himmels - Zier.* Alterum ostendit arborem, ramis frondosam, cui insidet auicula, e regione positam, cum inscriptione: *vnser treu, bleibe neu, bis in Todt.* In fundo Hungarus, baculo innixus, ascendit montem, in quo arx locata est. Peripheriam ambit epigraphe: PER. ASPERA. AD. PROSPERA. ANNO. 1708.

Orthographia germanica videtur dialecto, et pronunciationi, quae in Scepusio ante centum annos viguit, conformis esse. Anno 1708. quo Domicellam nobilem *Barbaram de Dirner* sibi matrimonio *Paulus Lányi* iunxit, eum fuisse Principis *Franc. Rákóczy*, Armaturae Supremum Commissarium Salis nitri, ac ferrearum Officinarum Inspectorem, montanae Commissionis, et Status Euangelici Consistorialem Assessorem perhibet *Protocolum Ecclesiar. Stat. euangel. nation. German. Rosnauiae*, quod inter autographa Bibliothecae Regni Széchényianae cum plurimis Literis Rákóczianis, ad eum datis, originalibus custoditur. Pace in regno restabilita, eum ad honores Vice-Comitis in Comitatu Gömöriensi eluctatum esse, mihi ex Protocollo eiusdem Comitatus cognitum est. Nuptiale hoc eius poculum Petr. Kubinyi *de Felsö-Kubin* Museo procurauit.

13) *Poculum* antiquum saeculi XVII. argenteum, formae rotundae, auro tinctum, quod exornant incisae ex Veteri Testamento, historiam Dauidis interpretaturae icones: e. g. caedem Goliathi: DAVIT BRINGT DEN RISN GOLIAT VMB. *Reg.* 17. fugam a conspectu Saulis, DAVIT FLEVCHT VOR SAVLS ZOHRN. *Reg.* 19. foedus cum Ionatha: IONATHAN MACHT MIT DAVIT EIN BVND. Non caret orbiculari basi, aeque argentea.

Poccellum hoc esse fabricae Hebraicae ex textibus Scripturae, me etiam tacente, omnis assequitur. Museum, raritatis caussa, illud tribus aureis comparauit.

Digitized by Google

14) *Poculum* vitreum, medium sextarium capessens, glabrum, cui Sutum gentilitium Herois inuictissimi EVGENII, Sabaudiae Ducis, anaglypho labore incisum est, fundus autem affabre caelatus.

Ex hoc poculo Princeps EVGENIVS, Dux Sabaudiae, atque Summus Caesareo-Regius Archistrategus primum VIII. Augusti 1717. expugnato Belgrado, infra Arcem in Conuiuio, quo sub tentorio Vezirii Turcici Praefectos militares exceperat, pro salute victoriosissimi exercitus Caesareo-Regii, explosis omnibus machinis bellicis, bibit. Hanc solennitatem quotannis, quoad vixit, gloriose recoluit, semperque eodem vsus est poculo in huius triumphi memoriam. Serenissimus Archidux IOSEPHVS, Hung. Palatinus sibi oblatum, in Museo diligenter custodiendum decreuit.

15) *Poculum* ex vnico grandi frusto dentis elephantini, opere anaglyptico eleganter caelatum, quod regionem exhibet, montibus, et syluis consitam, cum ferarum venatione: interno condimento studiose caret, vt videri possit, illud nequaquam ex pluribus fragmentis, conglutinatum esse.

Dum FERDINANDVS IV. Siciliarum Rex anno 1790 Generalibus SS. et OO. Regni Comitiis interesset, et XV. Nouembris Posonii Solennia Coronationis LEOPOLDI II. Imp. et Regis praesentia sua condecoraret, quidam Hungariae Magnas Regium Hospitem venatione excipere intentus, isthoc poculum venatorium pro hac solennitate Viennae caelari curavit. Sed, quod ad statutum diem non pararetur, ab Artifice redemtum non est. Post sexennium STEPH. MARCZIBÁNYI illud pretio triginta sex aureorum emit, eius autem successores ad Institutum nationale reposuerunt. Museum aere suo huic poculo fundum ex lamina argentea adiecit. Consuetudinem scyphorum, et poculorum venatoriorum ab immemoriali tempore apud plerasque nationes in summis Principum Aulis viguisse, confirmatur etiam exemplo CHRISTIANI II. Saxon. Electoris in *Taubmannianis* pag. 194.

16) *Poculum* ligneum, ex quercu tam nitide excauatum, vt nec peritissimi tornatoris manus purius sculpere potuisset.

Licet hoc productum pretio careat, pertinet tamen ad industriam nationalem. Huius generis scyphos, et pocula fabricant in monte *Bihor* degentes Valachi (quos *Móczones* dici, iam *Actor. Liter. Mus. nation. Hung.* Tom. I. pag. 330. docuimus) eaque ad nundinas singula bebdomada Claudiopolim, Belényesinum, et Magno-Varadinum deferunt, et 6. xr. pretio vendunt. Hungari in his salem conseruant, Valachi autem ex illis crematum liguriunt. Isthoc exemplar ex Comitatu Bihariensi ad Museum missum est.

17) *Poculum* venatorium ex rubro corio bubalino, quod formam sacculi repraesentat, superne in conum desinit, inferius se latius diffundit, instar amphorae romanae, acu phrygia pictum, et orificium lamella aurea, encausto mixta, vestitum est. In vtraque parte eiusdem metalli peltula perforata habetur, vt zona ad orificium adperiendum, vel claudendum traduci, et sacculus coriaceus componi possit. Eadem petula continet incisa monogrammata: in vna videlicet S. K. — ZG. — F. in altera; CFK. — ZG. — F.

Quemadmodum apud Romanos, ita etiam apud Hungaros venatio pertinebat ad bellicae virtutis studia, et *Pocula*, quibus Romani in venatione saepenumero intemperanter vtebantur, *Heroum* nominata sunt, notante ZVRCKIO ad HORATIVM. pag. 447. Sed adhuc hodie Hungaricus *scit bene* (inquit OVID. Art. aman. Lib. I. v. 45.) *venator, ceruis vbi retia tendat.* — Pocula diuersae formae venatoria apud Hungaros in Gazophylaciis Familiarum quaerenda sunt. Istud a Familia Baronum SENYEI Museo oblatum est. Sub literis in petula expressis plurium videntur intelligenda esse nomina, quae aliis interpretanda concedimus.

Digitized by Google

§. V.

Paterae, et Scutulae.

1) *Patera* cuprea, anaglyphi operis, opulente condam inaurata, in diametro vnum pedem geometricum, et tres pollices metitur. In medio collis assurgit floribus interspersus, qui locum pro ampula destinatum incingit. Ex inscriptione: Got sei mit uns circa collem quater repetita, diuinare pronum est, eam saeculo XVI. apud Saxones Transsiluaniae adhibitam esse pro baptisterio.

Hanc Museum percepit ex dono Ivlianae e Baronibus Inczédy, coniugis Ios. Szilassy *de Pilis* Consil. Aul. et Septemuiri. Kvltsár refert in *Hasznos Mulatságok* ad an. 1821. Num. 34. pag. 257. existere similem Göttingae Polonicis literis insignitam Pateram.

2) *Patina* orbicularis fusa ex stanno mediocris moduli, tenuisque lamellae, quae exhibet quatuor icones, alfabre effictas, circa marginem, quarum singula circulo claditur, interiacentibus totidem vasis, e quibus flores assurgunt. Icones desumtae sunt ex Libro Geneseos, ac quidem vna *Cap. II.* creationem hominis, altera *Cap. III.* fructum ligni, tertia *Cap. eod.* lapsum hominis, quarta *Cap. eod.* inflictam poenam repraesentat, In medio patinulae Noe altari exstructo *Cap VIII.* offert holocausta, addito emblemate: NOE GIENG AVS DER ARCH GETROST OPFERDT GOTT. 1619.

Patinula haec duorum saeculorum opus est, inuenta an. 1814. in fluuio *Sárviz*, et per Dan. Kilay iur. Geometr. et Hydraulam Museo cessa. Videtur sacro fortassis vsui aliquando adhibita fuisse.

3) *Patinula* octogona ex iasponyche Transsiluanico, variis coloribus distincto, inter pretiosa Cimelii olim Zriniani Csáktornyensis reperta.

Steph. Marczibányi *de Puchó* nullis pepercit sumtibus, vt illius compos fieret. Successores illam Museo Hungarico dignam censuerunt.

4) *Catillus* argenteus saeculi XIV. intus glaber, extus imaginibus ferarum frequens, rudi manu incisis. In medio ostendit equum, cui Genius insidet, tubam inflans, orbi inclusus. In hoc concurrunt sex hemisphaeria, in vno canis dilaniat feram, in altero se caper erigit, in tertio aper currit, in quarto vulpis fugit, in quinto simia ludit, in sexto coruus saltitat, marginem circulus ambit, cui monasticis literis inscriptum est: *Trink mit sinn sant Ihans mit mir Caspar, Melchior Balthazar.*

Catillus iste videtur fragmentum esse operculi ex aliquo vreeo venatorio.

5) *Scutula* maior ex argento, intus aurata, pendens ex annulo, addita quercu inaurata, ponderans triginta semiuncias, ad formam scutulae tonsoriae, glabra, et sine vllis figuris.

Digitized by Google

6) *Scutula* operis anaglyphi ex argento, parte interiore inaurata; extus circa marginem in quatuor quadris comparent duo lepores, et totidem canes venatici. — Quadris interiacent totidem orbes floribus eminentes, fundus plures rosarum ramos diffundit, pondere septem et decem semuncias fere aequat.

7) *Scutula* eiusdem magnitudinis, et operis, perinde ex argento, interne aurata, in fundo arboris ramulos orbis incingit, margo quidem vitiata est, pondere tamen ad septem et decem semuncias accedit.

8) *Scutula* eiusdem ponderis, operis, magnitudinis et metalli, orbita interiore deaurata, proferens sex animalia, rupicapram, ceruum, aprum, leporem, et vulpem, floribus inuicem seiuncta.

Quinque haec frusta a num. 4 — 8. ad mensalem in venatione adparatum olim adhibita fuisse, ipsae figurae, scutulis incisae, docent. Inuenta sunt *Körmendini* cum antiquitatibus, quas Sect. I. §. IV. num. 2. et 3. §. VIII. num. 2. — 13. Sect. II. §. II. num. 6. enarrauimus. Vti illas, ita has quoque Princeps Philip. de Batthyán Museo largitus est. Luxus epulorum venatoriorum nullo non tempore in cibis, patinis, et scutulis apud opulentiores viguit, ac etiamnum

— *Ganymedeae repetens conuiuia mensae*
Pocula sumit ea, qua gessit fulmina, dextra. Horat.

9 — 10) *Phialae* duae vnius eiusdemque magnitudinis, et formae ex iaspaachate carpathico, diaphano, cinerei coloris, glabre laeuigatae ad vsus glaciatarum cupediarum.

11) *Phiala* prioribus minor ex chalcedone Hungarico Comitatus Zempliniensis ad eumdem vsum affabre polita.

Etsi tres istae num. 9. et 10. et 11. indicatae phialae vix adhuc saeculum assecutae existimentur, tamen Posonii in priuata *Kochmeisteriana* domo supra sexaginta annos latebant, donec eas Steph. Marczibányi obtineret; cuius successores Museo obtulerunt.

§. VI.

Cultri, Fuscinae, et Cochlearia.

1) *Cochlear* ex buxo admodum dextere caelatum, cuius ansa virum, et mulierem in nobili ornatu, compositis ad pectus manibus, monstrat in antica parte; in postica capiti foemineo figura nuda insidet, quae cochlear amplexatur, exteriori cochlearis ouali formae *Hussii* effigies incisa est. Caput eius ambit in duplici circulo epigraphe: DAS PLUT. IESUS. KRISTUS. GOT. TES. SON. MACH. ET. UNS. REIN. UON. ALEN. SUNDEN. AMEN. AMEN. Interior inscriptio itidem in duplici circulo exarata haec est. KRISTUM. LIB. HABEN. IST. PESER. ALS. WISEN. AMEN. HEINRICH. IULIUS. — KRISTUS. BLUT. UND. $\overline{GE}$. RECH. TIKEIT. SOLS SEIN. MEIN.

Digitized by Google

Ioannem Huss saeculo XV. sub imperio cumprimis SIGISMVNDI Imp. et Reg. dogma suum e vicina Bohemia, opera famigerati *Giskra*, armata manu etiam in Hungariam transplantasse, et in Comitatibus Kis-Hont, Trenchin, Szepes, et Sáros plurimos inuenisse asseclas, sat, superque notum reddidit CAR. WAGNERVS in *Analect. Scepus. sacr. et profan.* Part. I. pag. 29. Eos in his Comitatibus Sacra fecisse Calices in nonnullarum ecclesiarum euangelicarum parietibus picti, ac hodiedum superstites commonstrant, confirmantque aeui illius versiculum:

Tot pingit Calices Bohemorum turba per Vrbes,
Vt credas Bachi numina sancta coli.

Isthoc cochlear, quod ad Sacra facienda adhibitum est, ex Scepusio ad Museum an. 1812. tulit fatis functus GEORG. NISNYÁNSZKY ad Excel. Consil. Reg. Locumten. Hung. et ad Excel. Cam. Reg. Hung. Aul. iur. Agens.

2) *Cochlear* argenteum saeculi XVI. specialis formae planum magis, quam cauum, oris gyratis. Huic incisum est scutulum, in quo Crux Patriarchalis, additis literis F. L. et anno 1568 conspicitur. Manubrium perquam affabre effigiatum est.

Inuentum est inter ruinas aedificii Weszprimii, et Museo donatum an. 1816. ab Excell. Ios. e Comitibus ESZTERHÁZY *de Galántha* I. Ord. S. Steph. R. A. Commendatore, S. C. et R. A. M. Cam. et Act. Int. Stat. Consiliario, ad Excels. Cancellar. R. Hung. Aul. Referendario, ac I. Comitat. Zemplin. Supr. Comite. Ex figura cochlearis coniectandum est, illud non ad delibandum iusculum, sed alios vsus oeconomicos praeparatum fuisse.

3) *Cochlear* ex iaspide aegyptiaco, diaphanum, formae orbicularis, instar scutellae, colore viridi, rubris, et albis venulis interspersum, vna cum manubrio instar cylindri ex eodem, vnoque frusto, nitidissime tornatum, atque argentea lamella, bene inaurata, armatum.

Antiqua hac, et pretiosissima raritate Museum locupletauit iam superius Sect. II. §. I. num. 2. laudatus Comes CHRISTOPH. MIGÁZZY.

4) *Cochlear* argenteum saeculi XV. ab hodiernae formae cochlearibus longe distinctum. Instructum est scutella orbiculari, et longiori manubrio, quod in extremitate muliebrem figuram ostendit. Incisum quoque habet aliquod Scutum gentilitium, quod tamen hungaricum non est.

Inuentum est in agris Praedii *Szalk Szent Márton*, adhuc integre conseruatum, tametsi ad semialterum pedem sub terra iacuerit. STEPH. DÉCSY Perceptor Dominalis in Keszthely ab inuentore redemit, et Museo intulit.

5) *Culter aegyptiacus*, tres digitos latus, parte suprema haud in cuspidem, sed in formam hemispherii vergens, oris vtrinque acuminosis; ferrum, paulo longius pede geometrico, subtile, et flexile est; elasticitate sua, dum pulsatur, sonum edit. Manubrio gaudet solido, gustui orientali accommodato. Argentum, ex quo fabricatum est, auro micat, in vtraque parte per medium calybea lamella ducta, ipsum manubrium quasi in bifariam diuidit, interiectis quatuor mussiui laboris fritillis, marmore candido, et cinereo tesselatis.

Digitized by Google

Hoc vetustatis monumentum pertinebat olim ad Sacrificia Aegyptiorum, quae a Schatzio compendiose in *Antiquit Graec. et Rom.* Lib. II. cap. II. explicantur, et *secespitae* nomine insignitur, multumque forma sua accedit ad clunaculum, quo apud Hebraeos hodiedum Rabbini vtuntur, quum exta animalium edendorum inspiciunt. Nec fere alia Victimariis fuisse apud Romanos cognosci potest ex iconismis, qui a Montfavconio exhibentur. L. B. Vincent. a Laffert S. C. et R. A. M. Camerarius Cultrum hunc iure successionis ad se deuolutum, Museo inferendum destinauit.

6) *Mensalia edulia* argentea, scilicet cochlear, culter, et tridens signata initialibus Friderici Borussiae Regis literis, Corona tectis, triginta nouem semuncias ponderantia.

Haec post pugnam ad Collinum an. 1757. sub bello septennali, expilatis Borussorum Castris, militi Hungaricae Legionis condam Nádasdianae in praedam cesserunt. Daniel Karczag in Comitatu Iaurinensi subsidionalis, et insurrectionalis Perceptor iisdem Museo gratificatus e t.

7) *Mensalia* ex variegato rubri, cinerei, et albi coloris iaspide, diaphana, auro, argento, et pluribus pretiosis pyropis ornatissima, politeque elaboratum cultrum, fuscinulam, et cochlear continentia.

Opus hoc saeculi XVI. ad thesauros florentis olim in Hungaria familiae Comitum Drvgeth *de Homonna*, quorum memoriam Fran. Bvdai in *Magy. Ország. Lexik.* Part. I. pag. 581. conseruauit, spectabat; cum decessu vltimi deficientis ad *Csákios* transiit. Comes Ios. Esztergházy *de Galántha*, pro suo Institutum nationale promouendi studio, Museo procurauit.

8) *Mensalia* ex chalcedone Hungarico, scilicet culter, fuscinula, et cochlear polite praeparata, et argenteis lamellis firmata.

Haec neutiquam antiqua, sed domestica sunt fabricata, quae Stephanvs Marczibányi ad proprium vsum Vacii in Surdorum et Mutorum Instituto perpoliri curauit, eius autem Successores Museo resignarunt.

9) *Mensalia* sine cochleari, sed duntaxat culter cum fuscinula pro glubendis fructibus ex myrtiolo margaritifera polita, et argento lamellata.

Nihil quidem singulare profitentur, attamen augebant olim impedimenta domestica Viri in Historia Patriae memorabilis, Fran. Rhédei *de Kis Rhéde*, qui honores, ad quos eluctatus est, Principatus Transsiluaniae, teste Ios. Benkö *Transsiluan.* Tom. I. § CXX. pag 289. post tres menses an. 1658. 24. Ianuar. missos fecit. Duo haec frusta, quae semialterum saeculum iam superant, ab eius obitu apud Successores hactenus conseruata, Comes Lvd. Rhédei in Museo deposuit.

§. VII.

Thecae, Pixides, et Cistulae.

1) *Pixis* argentea pro herba nicotiana, auro tincta, formae octogonae, laboris anaglyphi, decorata figuris, ex Mythologia petitis, quae floribus cinguntur.

Digitized by Google

Fabricatum domesticum est, saeculi XVII. gustum redolens, quod ab Antenatis suis acceptum And. Bossányi *de Eadem*, Consiliar. R. Medic. D. eiusdemque Facultat. in R. Vniuers. Hung. Commembr. I. Comitat. Nitriens. T. I. Assessor, Ciuic. Nosocomii Pestiens. Director, ac huius, et L. R. Ciuit. Pestien. Physicus Primar. ad Museum transtulit.

2) *Pixis* quadrangularis formae, ex achate Borsodiensi, cinerei coloris, venulis albis elegantissime discriminato, marginibus auri purissimi vndique conglutinata, perinde seruandae herbae nicotianae accommoda.

Recentissimi temporis Fabricatum hungaricum, sed dignum visu, Museo intulit Daniel Karczag.

3) *Pixis* pro herba nicotiana, in forma quadratuli oblongi, nitide composita ex puri rubri, et puri cinerei iaspidis Heuesiensis frustulis, deaurata margine aenea connexis: duntaxat pauimentum cinerei coloris tabula gaudet.

Lapides hos in Parád per *Ioan. Glock* cum centum aliis poliri, et pixidem ex iis proxime pro Museo parari curavit Sigis. Csoma *de Hagyolcz*, I. Comitat. Heues, et Szolnok exterioris articulariter vnitorum Primus Pronotarius, et Tab. Iud. Assessor.

4) *Pixis* oualis formae, ex carneolo Comitatus Vgocsensis ad vsum herbae nicotianae fabricata, marginibusque ex orichalco incincta.

Opus saeculi XVIII. quod Museo bene conseruatum dedit Ios. L. B. Barkóczy *de Szala*, S. C. et R. A. M. Camerar. et ad Exc. Consil. R. Locumten. Hung. Secretarius.

5) *Pixis* ex cornu rupicaprino, et fago etiam pro herba nicotiana inflexe tornato: cistulam sat profundam tegit operculum, cui incisa est labore anaglypho cumbens rupicapra inter duos aridos truncos, in pauimento rupicapra saxum scandit: operculum circumuallatur aerea lamella condam inaurata, sed per vetustatem iam attrita.

Hanc saeculi XVII. non contemnendam antiquitatem, a patre acceptam, Ciuis Pestiensis Ioan. Hofner Museo cessit.

6) *Pixis* ad eundem vsum ex laua montis Vesuuii orbiculariter tornata, intus, et extus deauratis ex orichalco circulis immarginata.

Opus saeculum superat, obtigitque Museo ex munificentia Sereniss. Archiducis Iosephi, Hung. Palatini.

7) *Pixis* ex breccia Carpathica (*Budingsthon*) formae oblongae, herbae nicotianae recipiendae accommoda, circulis ex orichalco deauratis vestita: punctula rubra, et alba elegantiam tribuunt.

Fabricatum hoc hungaricum pro Museo Eperiessini adparari curauit Albert. Pátzovszky I. Comitat. Sáros. Tab. Iud. Assessor et Supremi Regii Inspectoratus Sóuáriensis officii Inspector.

8) *Pixis* ex scorilo Transsiluanico ad formam aequiformis quadri, in medio ita bifariati, vt duplex operculum effingat, et in vna, eademque thecula, nigra, et flaua herba conseruari queat: margines aereae auro olim illinitae fuerunt.

Digitized by Google

9) *Pixis* ex iaspachate cinereo, perinde formae quadratae, inauratis orichalci marginibus septa, tam in operculo, quam in pauimento, mussiui operis papiliones, muscas, vespas, aliasque figuras nitide effictas proponit.

Vtrumque exemplar saeculo XVII. clenodia Transsiluaniae Principis Georg. II. Rákóczy ornabat. Anno 1790. cum nonnullis aliis pretiosis Cibinii Steph. Marczibányi vtrumque emit, successores autem scriniis Cimelii illocarunt.

10) *Pixis* oualis formae e diuersis pretiosis Hungariae et Transsiluaniae politis lapidibus artificiose composita, quorum singulus margine purissimi auri intercipitur. Operculum praeprimis elegantia eminet.

Hanc Pestini 1789. per aurifabrum *Kojanecz* ad omnem elegantiam parari curauit Steph. Marczibányi. Nunc per cessionem Successorum opibus Musei adnumeratur.

11) *Pixis* eburnea, aeque pro herba nicotiana, formam quadrangularem referens. Operculnm proponit prospectum arcis Fülekiensis, pauimentum vero pugnam ad Strigonium.

Hoc saeculi XVII. elegans schema, anaglypho nimirum opere caelatum, correspondet iconi arcis, quae in Krekwitzii *Königreich Ungarn* exhibetur, atque pugnae, quam is pag. 204. describit. Ea de caussa Museum duobus Aureis redemit.

12) *Pixis* etiam eburnea ad vsum herbae nicotianae conseruandae, formae orbicularis, saeculo XVII. anaglyphice elaborata. Operculum cum cistula, epitonio, argenteis armillis firmato, constringitur. Pauimentum glabrum est, sed operculum ostendit Genium vnum lachrymantem, alterum tubulo bullulas in aqua excitantem, alios etiam moestos duos arculae, numis, et gemmis oppletae, assidentes, humi autem Coronam cum Caluaria iacentem fixissime intuentes. Artifex probabilius hac allegoria vanitates mundi indicare voluit.

Huic antiquitati pretium accedit ab eius olim possessore, celeberrimo Lexicographo idiomatis Hungarici, Fran. Páriz Pápay. Diu pixidula apud Transsiluanos ad conseruandum summi suo aeuo Literaturae Hungaricae Promotoris memoriam, quam Weszprémivs in *Biograph. Medicor. Hung. et Transsil.* Centur. I. pag. 124. studiose propagare studuit, diligenter custodita fuit, hocque titulo eam Mich. Meszetics Ciuis, et Quaestor Pestiensis pro Museo nationali redemit.

13) *Pixis* quadrangularis e ligno petreficato scalpta, labore mussiuo eminens, saeculi XVII. scilicet exhibens in operculo ex auro, et pretiosis diuersae speciei gemmulis montem vitiferum Tokayensem cum adiacente oppido, totaque regione, pagis et fluuiis instar tabulae topographicae nominatim designatis, compositum, in auersa vero parte, siue pauimento pixidis proponens simili opere torcular, et Hungaros colonos dulce falernum exprimentes, tum sedentes mulieres, segregandis assis vuis occupatas; margines puro auro fulgent.

Hanc ex reliquiis Cimelii Csáktornyensis Zrinyiani superstitem, mortalium nuper ereptus numero, Excell. C. Fran. Széchényi *de Sárvári Felsö-Vidék*, Aurei Velleris, et I. Regii Neapolitani Ord. S. Ianuarii Magnae Crucis Eques, S. C. et R. A. M. act. int. Stat. Consiliar. et per I. R. Hung. Suprem.

Digitized by Google

Cubicularior. regalium Magister, etc. Museo rendam pretiosam antiquitatem Hungaricam non immerito existimauit.

14) *Pixis* argentea quadriformis, floribus deauratis, eleganter caelata.

Memoratu dignum est, quod haec sub motibus Rákóczianis an. 1704. *Kállouiae* in Comitatu Szabolcsensi, a vagabundo aurifabro *Ant. Vese* fabricata, ac postea penes familiam Kállayanam tamdiu conseruata fuerit; donicum eam porro conseruandam demortuus Comes Ioan. Kállay *de Nagy-Kálló* S. C. et R. A. M. Camerar. ad Museum mittendam disponeret.

15) *Cistula* formae octogonae ex calybe parata, iudicio artificum ad initia saeculi XVII. referenda, opere excellit anaglypho; floribus multa cum industria effictis. Licet antiquitas eam iam rubigine obduxerit, ob singulare tamen artificium plurimum aestimatur. Adhibita videtur fuisse ad conseruandas mulicbres offucias.

Spectabat olim ad Cimelium Csáktornyense Zrinyianum. Vidua Comitis condam Fran. Széchényi, nata Ivliana e Comitibus Festetich nuper Museo intulit.

16. 17. 18. et 19) *Cistulae* quatuor lusoriae, nitidissime ex ebore in forma quadrati fabricatae, figuris caelatae, coloribusque distinctae; vna videlicet rubro, altera viridi, tertia flauo, quarta albo pigmento tincta est: quaelibet earum consuetos ad foliorum lusum calculos (*marque*) pariformiter caelatos, et coloribus illinitos, continet. Cuiusuis cistulae operculo in parte inferiore incisum est nomen artificis: *Marianal le Ieune a Paris fecit.*

Possedit has olim *Gabriel Betlenius Transsil. Princeps.* Sub Comitiis Posoniensibus an. 1812. Sereniss. Archiduci Iosepho Regni Palatino pro Museo oblatae sunt.

20) *Thecula* in forma capsae, instar oui ex argento tornata, intus aurata pro conseruando opio, probabilius saeculi XVII.

Hanc sub expugnatione Belgradiensi an. 1789. caeso Turcae miles limitrophus ex Banali Legione Valachico-Illyrica ademit, opio adhuc repletam. Consumto opio, hebraeo vendidit, a quo an. 1813. Museum vno aureo emit.

21) *Theca* epistolaris turcica ex argento (*Brieftasche*) alias Pera Libellionum dicta. Moris enim apud Turcas est, Praefectis Prouinciarum, et Exercituum proprios suos intertenere Tabellarios, quorum fidei secretiores concreduntur Literae, eo, quo necessum est, deportandae, pendentibus ornatissimis de collo theculis, modo maioribus, modo minoribus. Haec quoque talis est, opere anaglypho elaborata, quam superne operculum ex tenui lamella argentea contegit, inferne triplicis ordinis cirri ex rubro serico, nodis argenteis involuti, ornatiorem reddunt.

Plurimum accedunt ad formam pyrothecarum talismodi ascoperae, et duntaxat magnitudine inuicem discriminantur. Haec in castris ad *Martinestje* Valachiae oppidum Tabellario Turcico, vna cum Literis per militem equestris Hungaricae Legionis olim Bark ianae anno 1789 erepta fuit. Museum eandem in valore argenti pro triginta octo Rhenensibus comparauit.

Digitized by Google

22) *Graphitheca* (*Schreibtafel*) alias scriptoria dici solita, ex argento multa cum industria, opere anaglypho saeculo XV. caelata, ad formam libri compacta, cuius vtraque tabula Genio alato gaudet, inter duos florum fasciculos consistente. Stilus scriptorius aeque ex argento formatus est, et plagulae, ad scribendum ex pergameno sunt.

Perrarum hoc, et affabre praeparatum antiquitatis monumentum antea clenodia familiae Baronum LAFFERT augebat, nunc Museum potitur, ex generositate L. B. VINCENT. a LAFFERT S. C. et R. A. M. Camerarii.

§. VIII.

Tabulae pictae, caelatae, mussiuae.

1) *Caput* galeatum tabellae orbiculari ex buxo artificiose incisum, aut verius tornatum.

Opus est Hungari Debrecinensis, cuius MATH. RÁTH in *Magyar Hirmondó* ad an. 1803. meminit, Madriti in Hispania ciuitate donati, vbi famigeratissimi tornatoris nomen consecutus. C. LEOP. ANDRÁSSY *de Krasznahorka* liberaliter solutum, Museo cessit.

2) *Epiphania* paruae tabellae quadrangulari ex ebore, profunde stilo insculpta. Labor rudis antiquitatem saeculi XIV. confirmat.

Hanc Museum obtinuit ex generositate IOAN. BORÁROS.

3) LAVDONIVS Turcarum Domitor inuictissimus cum trophaeis bellicis ex aere deaurato fusus, ac ouali tabulae ex alabastro, quae auro illinita aenea margine incingitur, affixus.

Museum tenet ex dono PETRI *de* KVBIN.

4) LEOPOLDVS M. in tabula rotunda eburnea, opere anaglyptico ad viuum formatus, addita inscriptione: LEOPOLDVS I. D. G. ROM. IMP. SEMP. INVICTISSIM.

Anno 1812. Anonymus hanc Weszprimio dono misit addita huius tenoris notitia: „ Tabulam „ hanc inter suas sibi gratissimas olim numerauit Archiepiscopus Colocensis PAVLVS SZÉCHÉNYI, qui mori„ turus eandem reliquit Praeposito Colocensi, et Canonico Weszprimiensi VISA, cuius opera in negotia„ tione cum Rákóczianis vsum fuisse, ex I. F. MILLER *Epistol.. Archiepiscop. Georg. Strig. et Paul. Co„ loc. Széchényi* Part. I. epist. XIX. pag. 57. abunde clarum euadit.

5-6) *Tabulae* duae eburneae quadratae formae, saeculi XV. quae operas rurales anaglyptice repraesentant, vna scilicet arandi, et seminandi, altera falcandi, et metendi tempus indicant.

Digitized by Google

Vtramqne Tabulam an. 1812. Posonii pro Museo comparauit Ant Kiss *de Ittebe.*

7-8) *Tabulae* duae quadriformes sub vitro, fugam Mariae in Aegyptum exhibentes, tam delicata manu ex ebore caelatae, vt figurae omnem exspectationem superare videantur.

Ex pretiosis, quibus olim Budae Moniales a S. Clara gaudebant, in auctione publica an. 1786. a Steph. Marczibányi non modico pretio comparatae, et ab eius successoribus ad Museum translatae.

9) *Tabula* quadrata maioris formae, opere mussiuo efficta ex gypso, nauim procellis in mari iactatam, coloribus distinctam, aspectu prorsus iucundam intuentibus proponens.

Haec Florentiae sacculo XVII. quo talismodi opera in pretio habebantur, fabricata fuit, et a Ioan. Marczibányi *de Puchó et Csóka* complur. II. Comitat. Tab. Iud. Assessore Museo illocata.

10) *Coena Domini* in eburnea tabula quadriformi, labore anaglyptico, tam subtiliter, et artificiose caelata, vt pretiosum isthoc saeculi XVI. opus, nonnisi ope microscopii apte discerni queat.

11-12) *Tabulae* duae perinde ex ebore formae oualis, mediocris moduli, quarum vna natiuitatam Christi, altera epiphaniam opere anaglyptico perquam concinne caelatam ostendit.

Tria haec singularia artis caelandi exempla formata Aug. Vindelicorum, vbi saeculo XVI. pulcherrima opera eburnea praeparata fuere, fabrica prodiuisse, artis periti confitentur. Olim ornabant Cimelium vltimi Principis Fran. Rákóczi, qui Generali suo Andrássyo ea donauit. Nuper autem C. Ios. Andrássy *de Csik-Szent-Király, et Krasznahorka* S. C. et R. A. M. a Cubilibus Museo transcripsit.

13-14) *Tabulae* duae mussiui operis, maioris formae, quadrangulares, prospectum amoenum regionum proponentes.

15-16) *Aliae* duae eiusdem operis, et magnitudinis, virum in vna, in altera foeminam, turcico habitu, coloribus diuersis praedito, aptissime exprimentes.

17-18) *Aliae duae* mussiuo opere, ex lapidibus, natura coloratis, in minoris formae quadratis tabulis auiculas ramis insidentes, ante oculos constituunt.

19) *Tabula* oblonga perinde eiusdem operis, bene effigiata auicula eminet.

Septem istae mussiui operis Tabulae, sua non carent attentione. Non enim in Italia, sed in Hungaria Budae cum primordio saeculi XVIII. ex lapidibus carpathicis compositae sunt per Ant. Campiani, Comitis Otton. *de* Limburg — Styrum, Fortalitii Budensis Praefecti, Caes. Reg. Generalis Equitatus, et vnius Legionis Dymachorum Colonelli Camerarium, Florentia oriundum. Is has, et plures alias per regnum dispersas, lucri faciendi caussa, conglutinauit. Ex duabus, quas post se reliquit, filiabus, neptis vna haec septem, et nonnulla alia mussiui operis ab auo effigiata paradigmata centum aureorum pretio Exc. Stephano Marczibányi emenda obtulit, qui, quod hungarica sciret esse fabricata, promtissimus eidem petitam summam numerauit. Ex illis ergo has septem tabulas Successores Museo tradiderunt.

Digitized by Google

20-21) *Tabulae* duae paruae formae oualis ex alabastro, citra dubium saeculo XVI. anaglyptice, neutiquam perfunctorie sculptae. Harum vna muliere torui vultus, induta thorace, tecta galea, atque pallio praecincta eminet. Altera filiam senecioni Patri vbera praebentem monstrat.

Prior *Semiramim* Assyriorum Reginam fingit, quae, audita Babyloniorum defectione, in furiam acta, sagum induit, nec prius capillorum decorem, inquit VALERIVS MAXIM. *Lib. IX. Cap. III.* in ordinem redegit, donec, capta vrbe, perfidiam vlta non fuisset. Posterior exprimit pietatem *Perus*, quae, perhibente eodem VAL. MAXIMO *Factor. dictor. memorab.* Lib. V. Cap. IV. patrem suum *Cimona* custodiae traditum, iam vltimae senectutis, velut infantem pectori suo admotum aluit. *Stupent* (inquit VAL. MAXIMVS ibidem) *hominum oculi, cum huius facti pictam imaginem vident, casusque antiqui conditionem, praesentis spectaculi admiratione renouant.* Ex his verbis clarum euadit, in memoriam huius praeclari facinoris iam Veteres adornasse picta simulacra, e quibus recentiori aeuo desumtae sunt icones, idem pietatis officium exprimentes. Tales quippe sunt duae istae tabellae, a Museo quinque florenis emtae.

22) *Tabula* magni moduli ex plumbo orbicularis, anaglyptice fusa, in cuius area Aquila biceps expansis alis, et pedibus circumdatur literis *I. C. G. L. D. R. S. Anno Domini* 1625.

Sub his literis intelligitur *Illustrissimus Comes Georgius Zéch de Rima-Széts*, quod oppidum olim in Comitatu Gömöriensi celebre, hodie iuris Kohárvani est. Genus illustre *Zéchiorum* in Biographiis adumbratum est, quas FRAN. BVDAI in *Magy. Orsz. historiabéli Lexik.* Tom. III. a pag. 334. — 345. vulgauit. Tabula haec pendebat e tumba. Vt enim nostra aetate mos inualuit Scuta gentilitia, coloribus picta, tumbis adponere, ita haec superioribus saeculis e varii generis metallo praeparata fuere.

23) *Tabula* maximi moduli, oualis, etiam ex plumbo anaglyptice fusa, in qua scutum gentilitium formae sexagonae, in tres baltheos diuisum. In superiore quatuor anates, in medio tres rosae, in inferiore tres anates exhibentur. Scutum tegit galea, cui Corona incumbit, ex qua duae prominent alae aquilinae, vnam cingit baltheus scutarius cum rosis, alteram cum anatibus. Peripheriam ambiunt literae: *I. C. D. D. M. D. D. H. I. C. D. D. G. de RI. SZE. S. C. C. G. E. A. S. C. R. M. C. M. et P. R. S. H. G. C. RV.*

Tabula haec sepulchralis est, cuius generis ad posteros transmittere, olim apud Hungaros in vsu fuisse, confirmat Tabula mortualis aenea WLADISLAI II. Hung. Regis, quae a PRAIO *Annal. Reg. Hung.* Part. IV. pag. 390. describitur, et nunc in Cimelio antiquitatum Caesareo Regio Aulico Vindobonensi asseruatur. Literae superius recitatae interpretandae sunt: *Illustrissima. Comitissa. Domina. Domina. Maria. Druget. de Homonna. Illustrissimi. Comitis. Domini. Domini. Georgii de Rima-Széch, Supremi. Comitis. Comitatus. Gömöriensis. et Equitis. Aurati. Sacrae. Caesareo. Regiae. Maiestatis. Cubicolariorum. Magistri. et. Partium. Regni. Superioris. Hungariae. Generalis. Capitanei. Relicta. Vidua.*

24) *Tabula*, aequiformis quadrati mediocris, repraesentans effigiem FRAN. Senioris Principis RÁKÓCZY.

Hanc synchronam esse, indicat annus 1624. cum nomine iconi, coloribus per artis peritum in charta crassiori pictae, inscriptus.

25) *Tabula* aenea, parui moduli, quadriformis, antiqua, et rudi manu elabo-

Digitized by Google

rata, in qua Christus cum Apostolis secundum *Euangelium S. Ioannis Cap. XI.* Lazarum a mortuis resuscitat, scilicet:

— notuit in Christo fatum insuperabile amici,
Euocat e tumulo: Lazare, adesto foras.

Opus est sacculi XV. non caelatum, sed fusum, et per vetustatem attritum. Quatuor haec a num. 22. — 26. antiquitatis specimina Museum in acceptis refert indefesso Cimelium erigendi, et augendi zelo, viri aestimatissimi Petri Kvbinyi *de Felsô Kubin, et Déménfalva.*

26) *Tabula* orbicularis ex buxo, nigro circulo incincta, cui subtilissime scalpello incisum est Protome Annae coniugis Ferdinandi I. Imp. et Regis Hung. filiae Wladislai II. Hung. et Boh. Regis. In peripheria nomen inscriptum est: EL. ANNA, R. HV. ET. BO. VX. IMP. FERD. I.

Opus saeculi XVI. ad omnem elegantiam efformatum, ac quidem, antequam Ferdinandvs Hungariae diademate incinctus esset, prouti epigraphe docet, Anna se Reginam Hungar. et Boh. appellat.

27.) *Tabula* oualis formae, super pergameno picta, complectens imaginem LVDOVICI II. Hung. Regis, pone Mohácium mersi, ad viuum expressam.

Respondet adamussim numo, qui numothecam Széchényianam Musei ornat. Picturam esse coaeuam, torques aureus probat, artificio effictus, quod hodie adhuc ignoratur, tametsi Norimbergenses illud iam conati sint restituere.

28) *Tabula* orbicularis argentata mediocris moduli, Carolvm V. Imperatorem quadriformi pileo tectum, pectore tenus referens cum inscriptione marginali: CAROLVS. V. IMP. ET HISP. REX.

Coaeuam esse perhibet annus in medio iconis expressus: MDXX.

29) *Tabula* orbicularis maioris moduli ex argento fusa, sistens promissa coma, nudato capite, mystace spisso celeberrimum aeui sui artificem, cuius nomen peripheria promit: ALBERTVS DÜRER PICTORTS GERMANICVS.

Dvrervm, magis foris, quam domi cognitum, et aestimatum Germania sibi vendicat, tametsi in Hungaria, ac quidem XX. Maii an. 1471. *Magno-Varadini* primam aspexerit lucem, Patre ibidem aurifabro, quocum puer Norimbergam emigrauit, vbi in Pictorem, Aurifabrum, Statuarium, Chalcographum, et Architectum euasit famigeratissimum. Eius biographiam vulgauit Lochner, in *Medaillen Sammlung* Tom. IV. p. 289. et 417. In Hungaria (si excipias ea, quae Zagrabiae in Bibliotheca episcopali Exc. Praesulis Maximil. Verhovácz *de Rakitovecz* praesto sunt) vix aliqua eius artefacta reperiuntur. Plura Viennae in Museo *Schönfeldiano* existere, constat ex Libello, quem Possessor idiomate germanico 8. Viennae 1810. vulgauit, vt emtores alliceret. Eius enim fabricata pleraque per *Vlricum Fugger* tunc adhuc quaestorem ad Italiam pertigerunt. Haec Dürери tabula coaeua est, ac quidem ex collectione Csáktornyensi *Zriniana*, vti etiam paradigmata, quae num. 26. 27. et 28. recensita sunt, perhibente manuscripto Indice: *Verzeugnus Srinischer Kunst-Stücker, Merkwürdigkeiten, Steine*, etc. Schemata haec quoque modo aestimanda Museum recepit ex munificentia C. Fran. Széchényi *de Sárvári F. Vidék.*

Digitized by Google

30) *Tabula* magna lignea oblongi quadrati, scalpello anaglyptice insigni cum peritia incisum exhibens fluctibus maris, et inter procellas periculo obnoxium nauigium; velis, remisque instructum, in quo secundum Matthaeum *Cap. VIII.* Christus sopore oppressus, in puppi nauis pacifice cumbere visitur.

Exprimitur quippe versiculus 24: et 25. cit. Cap. *Motus magnus factus est in mari ita, vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitauerunt eum dicentes: Domine, Salua nos, perimus.* Elegans hoc caelaturae specimen an. 1778. Pestiensis Hermoglyphus Zavz parauit, et defuncto Cardinali, Primati, Principi, et Archiepiscopo Strigoniensi Iosepho e Comitibus Batthyán xenio dedit, qui artificem large remuneratus est. Post eius obitum ex fratre nepos Antonivs, Perpetuus in *Németh-Ujvár*, S. C. et R. A. M. Camerarius Museo cessit.

31) *Tabula* aenea, olim inaurata, effingens quadratulum inaequalium laterum, in qua anaglypho labore inter columnas per formam templi gothici locatas Praesepe, ad quod Pastores donis onusti accurrunt, neo natum Infantulum salutaturi. In superiori margine tabulae incisum legitur: PARMA INVENIT. inferius autem indicatur annus 1561. Nomen artificis desideratur.

Isthoc saeculi XVI. concinnum Parmense Fabricatum, iuxta phantasiam artificis caelatum, longo iam tempore in Hungaria latuit; Ioan. Fináczy Regii Postarum Praefectoratus Officii per Districtum Budensem Praefectus paulo ante mortem Museo dicauit.

32) *Tabula* quadriformis, parui moduli, mussiuo opere, igniuomum montem Aetnam, cum adiacente regione, nitidissime effictum ostendit.

33) *Alia* quadrata priore minor, accumulatis turget ruinis.

Vtraque ex beneficentia Sereniss. Archiducis Iosephi, Hung. Palatini Museo obtigit.

34) *Similis*, eiusdem cum praecedente magnitudinis.

Elegans exemplar, quod cum pretiosa sua minerarum collectione ex Lethenye C. Petr. Szápáry *de Eadem et Murai Szombath* S. C. et R. A. M. Camerarius ad Museum misit.

35) *Tabula* magna in forma quadrati oblongi, ex candido marmore, duos fere pedes alta, vnum, et tres pollices lata, opere anaglyptico sculptam, et ad gustum magis graecanae, quam latinae Ecclesiae accommodatam, obtutui obiicit iconem *B. M. Virginis*, Saluatorem sinu fouentis. Infima margo in duabus lineis comprehendit epigraphe: ORA ▲ PRO ▲ NOBIS ▲ SANCTA ▲ dEI ▲ GENITRIX ▲ VIRGO ▲ MARIA ▲ PAX ▲ INGREDIENTIB. ▲ EGREGIV ▲ HOC ▲ OPVS ▲ FECIT ▲ FIERI ▲ ANDREAS ▲ FILI. ▲ ANDREE ▲ dE ▲ BATHOR ▲ 1 ▲ 5 ▲ 26 ▲

Insigne hoc antiquitatis Hungaricae schema annorum, mox tercentorum, hactenus Vacii neglectum, inter priuatos parietes delitescebat. Anno 1812. ad Superos translatus Moecenas Musei nationalis liberalissimus, Episcopus Vaciensis, Lad. Kamánházy illud detexit, et dignum regni Instituto arbitratus est. Incidit enim in tristem epocham cladis Mohácsiensis, cui Andream Báthory, postea sub Ferdinando I. et Maximiliano II. ad honores eluctatum, cum patre Andrea interfuisse, narrat Fran. Bydai in *Magy. Orsz. Lexik.* Tom. I. pag. 181.

Digitized by Google

36) *Tabula* sericea ad formam Quarti, Iosephvm Archiducem, Hungariae Palatinum, acu phrygia pictum, tam accurate exprimens, vt aeri incisus putetur.

Doni huius author in dorso imaginis sua manu haec adscripsit: „ Quod ingenium, ars, et dex-„ teritas humana stupendum creauit, id Museo nationali dignissimum, Conciuibus suis charissimum dono „ dedit *Comes* Vincentivs Szápáry *de Eadem, et Murai-Szombath*, S. C. et R. A. M. Camerarius, nec „ non I. Ord. Leopoldi Austriaci Eques 1817.

37) *Tabula* aeque sericea, in forma quarti oblongi, simili labore parata, iucunda aspectu, proponens obtutui pontem cum turri, ruinam minante, eminus aedium rudera, flumenque, ac trans illud praegrande saxum, cui arbor exarescentibus ramis incumbit.

Hoc praeclarum industriae, Cupro prorsus affine, monumentum fecit Hungara Pestini die 14. April. 1816. et Museo nationali sacrauit Maria Liedemann filia Negotiatoris, et de electa Communitate Ciuis Pestiensis Sam. Liedemann.

38) *Tabula* rotunda, quae in cornu bubalino subtilissime, reticulato opere, incisas, ad morem orientalis Ecclesiae, sistit icones Saluatoris, Apostolorum, Sanctorum Patrum, etc.

Huius generis paradigmata in Graeca Ecclesia *Dipticha* nominantur, suntque admodum frequentia, ac persaepe pretiosissima. Eorum varietatem Dv Cangivs in *Glossar. ad Scriptor. med. et infim. Latinit.* fol. edition. Paris 1733. Tom. II. pag. 1512. et sequ. docet. Maxime in vsu sunt ecclesiastica, atque parantur cumprimis in illorum memoriam, qui Ecclesias rexerunt. Istud in aliquo Sclauoniae Claustro Calugerorum antea custoditum, Museo procurauit Ios. Hinka Caus. F. V. iurat. Aduocat. et ad Exc. Consil. Reg. Locum. Hung. vti ad Ex. Cameram Reg. Hung. Aul. Agens.

39-40) *Tabulae* duae quadriformes ex ligno petreficato medii aeui. In vna Diua pallio tecta, et circa caput radio collustrata, orans flectit in scabello, ante illam vir cincinno decoratus, imberbis, pallio terram verrente indutus, humi procumbit. In altera inter duas praealtas turres mulier consistit pallio inuoluta longiore, et velo tecta, cui barbatus senex, pileo asiatico ornatus, togaque longa amictus, amores in aurem susurrat, et adulatur.

Prioris tabulae historia desumta est ex Legenda Diuae *Susannae* castissimae. Posterior occultos Turcarum cum mulieribus conuentus, et amores in gynaecco adumbrat. Opus non vtique rudis labor anaglypticus, sed antiquitas commendat. Vtramque tabulam, ex puteo inopine extractam, Steph. Sárközy in Comitatu Simeghiensi Tab. Iud. Assessor ad Museum transposuit.

41) *Tabula* orbicularis ex spatho calcareo, opere anaglyptico repraesentat pugnam Centaurorum, cum Lapithis in Pirithoi nuptiis, quam Ovidivs *Metamorph.* Lib. XII. v. 219. et seqq. late describit.

De *Centauris* Poetae olim fabulati sunt, quod sint Ixionis ex Nube quadam a Ioue subiecta filii, superiore parte hominem, inferiore equum referentes. Sed in Petr. Milleri *Chrestomathia Ouidiana* ad voc. *Centauri* verius erant Thessaliae populi, secus Pelion montem habitantes, qui primi equorum domandorum vsum repererunt, atque, quum ex iis pugnare incepissent, membra partim humana, partim equina habere dicti sunt. Exemplar, quod hanc Ovidii fabulam exprimit, medii aeui est, inuentum in

Digitized by Google

campis supra veterem Budam, et ab Ant. Pintér, Parocho Nosztrensi ad Museum deportatum, commode caelatum, sed negligenter conseruatum.

42) *Tabula* quadriformis ex ligno symbolica, opere anaglyptico perquam eleganter, probabilius ab aliquo monacho saeculo XV. caelata, mortem in memoriam nunquam non reuocatura. Cauerna plures ostendit caluarias, super qua dormiens Genius cumbit, pone illius caput clepsydra effluit, ad latus dextrum ardens candela frangitur, casumque proximum minatur.

Hanc mortis effigiem Christianis iam saeculo quinto praeplacuisse, illius aetatis monumenta, quorum adhuc aliqua in Italia supersunt, luculenter commonstrant. Ab ethnicis enim mortem sub variis simulacris, et nominibus, e. g. Erebi, Noctis, Lethi, etc. pictam fuisse, testis est C. Ivl. Hyginvs *Fabular. Lib. in Proemio* pag. 1. apud Staveren *Auctor. Mythogr. Latin.* 4. *Lug. Bat.* 1742. Praesens mortis schema se supra saeculum XV. produci non patitur.

43) *Tabula* eburnea oblonga, quae in prima, et altera area Apostolos, in tertia Euangelistas, in quarta nonnullos Sanctos Graecae Ecclesiae profunde incisos, perrupto, vt aiunt, labore, ad formam gustus orientalis adducit.

Opus hoc antiquum est ex saeculo XIII. quo huius generis labor rudis in vsu fuit sub nomine *Diptichorum*, quae *num.* 38. interpretati sumus.

44) *Tabula* eburnea oualis, referens Deorum consilium, cui Dii *Mercurius*, *Pan*, *Minerua*, *Venus*, *Diana* assident, et consultant, *Iupiter* autem in Pauonem transformatus, eminus auscultat.

Paradigma hoc mythologicum alludit ad fabulam Ovidii *Metamorph. Lib. XIV.* in quo loquitur de *Concilio quondam praesente Deorum*, estque opere anaglyptico probabilius Augustae Vindelicorum cum exitu saeculi XVI. quo tempore icones ex sacris Literis, vel Mythologia mutuatae, dominanti arridebant gustui, fabricatum.

45) *Tabula* aenea parua, formae oualis admodum imperita caelandi manu fusa, *Apollinem* cum Lyra, *Marsiam*que proponere contendens.

Licet exemplar hoc antiquum sit, non tamen ad tempora Romanorum referri potest. Exprimitur quippe id, quod Hyginvs *Fab. CLXV* pag. 279. de vtroque narrat, *Apollinem* citharam versasse, sonumque dedisse, quod *Marsya* tibiis facere non potuit.

Museum quatuor has Tabulas num. 42. 43. 44. et 45. indicatas possidet ex gratuita oblatione iam saepius a nobis memorati Ioan. Boráros.

46-47) *Tabulae* duae aeneae, vti vetustate, ita etiam operis anaglyptici nitore commendatae. In vna sedet nuda Venus, cuius lateri adstat *Adonis* arcum, e humero pendentem, hastam sinistra manu gerens, dextra duos vertagos in zona ducens. In altera *Veneri Cupido*, pharetra armatus, lenocinatur, *Pan* autem baculo innixus, sub trunco exarescentis arboris sedet.

Prioris Tabulae phantasia a recentioris aeui Pictore desumta est ex Historia *Adonis*, quem puerum formosissimum, *Veneris* que delicium commenti sunt veteres Poetae. Ovidivs enim *Art. amator.* Lib. I. v. 503. cecinit: *cura Deae, siluis aptus, Adonis erat.* Haec ergo poterat esse caussa, quod Pictor

Digitized by Google

venationi intentum cum vertagis delineauerit. — Posterior quoque tabella recentioris Pictoris inuentum, neutiquam veteris Poetae est. *Cupido* enim cum *Venere*, matre quippe sua, passim pingitur puer paruus et temerarius, qui iudicio caret. *Pan* vero syluarum Deus spectator sub arbore assidet lenociniorum pueri. Figmentum affabre caelatum supra saeculum XVI. non protenditur, tametsi fons ex antiquis fabulis Poeticis haustus sit.

48) *Tabula* aeque quadriformis ex argilla anaglyptice multo studio complicata, in qua *pulchra Venus molli componit corpora lecto*, scyphum *Gratiis* cumbens porrigit, quarum vna dulce falernum ex amphora fundit, post tergum Deae Cupido arcum stringit.

Isthoc schema duntaxat saeculi XVIII. habendum est. Huius enim generis hodie plasmatores Itali faciunt, et *pastas* (Abdrücke) nominant. Exprimitur in hac tabella *Venus*, vt amorum, et voluptatum Dea lasciuo cubitu, dum falernum postulat ab ancillis fundi, quas Graeci *Charites*, Romani *Gratias* nominarunt. *Cupido*, seruus proprie amoris ab his neutiquam abesse potuit, quod illius esset officii sagittis ardentibus, inquit Holle *Mythолog.* Lib. II. Cap. III. §. IV. libidine vesana sauciare animos. Simulacrum istud potius symbolum, quam veterem alicuius Poetae fabulam redolet. — Tres istae tabulae 46. 47. et 48. Museo ex legato Steph. Sándor *de Slavnicza* obtigerunt.

49) *Tabula* aerea orbicularis magni moduli, referens alterum Hungariae Regem, pectoretenus, promissa barba, profusis ad humeros capillis, capite coronato cum inscriptione: PETRVS ALAMANNVS affabre effictum.

Saeculo XVI. plures in Italia exsurrexerunt artifices, qui lucri capiendi caussa, Antiquitatum studio minus imbutos fefellerunt, Pontificum, Imperatorum, Regum, Eruditorum, etc. qui in antiquis historiis epocham constituunt, quorumue nomina celebrantur, passim in diuersi generis metallo, procuderunt, pro coaeuis ac genuinis vendiderunt. Ex talismodi fabricatorum reliquiis etiam *Petrus Alamannus* habendus est.

50) *Tabula* etiam aerea oualis, magni moduli, eminens capite foemineo, capillis nitide in ordinem compositis, post tergum in nodum complicatis, in fronte triangularem ornatum exhibens. Peripheriae inscriptum est: LEPIDA. SERVII. GALBAE. VXOR.

Isthoc exemplar ex eadem fabrica prodiit, exhibens ex numo transumtam effigiem *Lepidae*, quam *Galbae* Imp. Coniugem fuisse, ex Svetonio in *Galba* Cap. V. constat. – Vtriusque paradigmatis compos fieri voluit Museum Fran. Vörös *de Farád.*

51) *Tabula* orbicularis cuprea, mediocris moduli cum effigie *Fuluiae*, forma, qua in numis comparet, pectoretenus cusa, cum epigraphi marginali: FVLVIA PRIMVM FELIX.

Fuluiam, *Tito* Imp. nuptam, sed postea repudiatam Svetonivs in *Tito Cap. IV.* perhibet.

52) *Tabula* cuprea oualis, caput *Diuae Iuliae*, contortis concinne capillis, proponit.

Iuliam filiam *Augusti*, vxorem *Tiberii*, fatis iactatam, perhibet Svetonivs in Imp. *Tiberio* cap. 7. et alibi.

Digitized by Google

53) *Tabula* eiusdem metalli, formae quadriformis, exprimens, *Iulium Caesarem* lorica indutum; inscriptio vitiata est: ....VS CAESAR DICTATOR.

Haec ipsa effigies praefixa est optimae editioni Oudendorpianae eius Operum sub titulo: C. Ivl. Caesaris *de Bellis Gallico, et Ciuili Pompeiano, nec non A. Hirtii, aliorumque Bellis Alexandrino, Africano, et Hispaniensi Commentarii, ad MSStorum fidem expressi c. integr. not.* Dion. Vossii, Ioan. Davisii, *et* Sam. Clarkii, *cura, et studio* Fran. Ovdorpii 4. *c. fig. Lug. Bat.* 1737. In hoc exemplari primae syllabae IVLI desiderantur.

54) *Tabula* mediocris moduli, cuprea, formae orbicularis, incogniti viri capite praedita.

Quatuor ista a num. 51 – 54. paradigmata ex fabrica, quam Romae Hebraei saeculo XVI. erexerunt, desumtis iconibus ex numis, in publicum cum foenore dimissa sunt. Huius generis plures tabulae aereae in Hungaria dispersae latent, omnes ab anaglyptica puritate celebrantur. Has quatuor aliquando in arce *Munkátsiensi* conseruatas, denatus Comes Fran. Tolvay *de Köpesd* S. C. et R. A. M. Camerarius, Incl. Tab. Iudic. Districtual. Cis Danub. Praeses, etc. Museo Nationali contulit.

55) *Tabula* orbicularis aerea, in magnitudine numi vncialis, opere anaglypho, caput senecionis refert, addito nomine: SOCRATES.

56) *Tabula* priori conformis, cum inscriptione: ZENO.

57) *Tabula* similis, praedita capite, et nomine Philosophi: ARISTO.

Etiam ista tria nitidi laboris specimina in aliqua Italiae fabrica, probabilius ex marmoribus antiquis desumta, effingebantur. Cohaerent enim accuratissime cum *imaginibus Veterum Philosophorum*, quas Petr. Ioan. Bellorivs *fol. Romae* 1685. edidit. Oblata sunt Museo per Ant. Hvszár.

58-59) *Tabulae* duae quadriformes, parui moduli, super ebore; subtilissimo penicillo, ad viuum pictae, quarum vna Carolvm VI. Imp. et Regem Hung. altera Imperatricem, et Reginam, coniugem Elisabetham Christinam, *Ludouici* Ducis Brunsuico-Quelpherbitani filiam, coloribus distinquit.

60-61) *Aliae* duae ouales, in minori formato, quarum vna perinde in ebore, coloribus ad viuum pictam refert Mariam Theresiam, Imperatricem, et Reginam Hungarorum immortalem, altera eius Coniugem Franciscvm I. Romanor. Imperatorem, Lotharingiae Ducem, et Regnorum Corregentem.

Quatuor has a num. 58.-61. ab vno, eodemque artifice elegantissime pictas icones, demortuus Ioan. Bapt. Mráz Praep. S. Ioan. Bapt. de Buda, et Colleg. Eccl. Poson. Lector, et Canon. Museo conseruandas reliquit.

62) *Tabula* orbicularis ex alabastro, effigiem Iosephi II. Imp. purpura amicti et diademate praecincti, pectoretenus, labore anaglypho, formatam exhibet.

Digitized by Google

63) *Tabula* eiusdem formae, magnitudinis, materiae, et operis, decorata simulacro ALBERTI Regii Poloniarum Principis, Saxoniae Ducis, condam in Hungaria Locumtenentis Regii.

64) *Tabula* priori in omnibus affinis, vultum proponens Coniugis MARIAE CHRISTINAE Austriae Archiducis.

65) *Tabula* a praecedentibus discrepans solum icone IOS. KISS in I. Comitat. Báchien. Tab. Iud. Assessoris, per R. Hung. iurati Geometr. Archit. et Hydraulici, cuius ingenio, perspicacia, et directione Canalis Báchiensis FRANCISCI exsurrexit.

66) *Tabula* forma, materia, magnitudine, et opere anaglyptico praecedentibus similis, repraesentans imaginem celeberrimi condam Statuarii Posoniensis FRAN. XAV. MESSERSCHMIDT, sereno vultu, propria artificis manu, affabre caelatam.

67) *Alia* eiusdem Artificis vultu serio fabricata effigies.

68) *Alia* itidem suimetipsius imago, quam adhuc iuuenilibus annis, gustu graecanico, effinxit.

Septem haec a num. 62 — 68. schemata peritissimam famigeratissimi per vniuersam Europam Ciuis Posoniensis FRAN. XAV. MESSERSCHMIDT, manum loquuntur. Is profecto

Quaesierat studio nomen memorabile, quando
Orta domo parua, paruis habitabat hypapis.

Ovid. Metamorph. Lib. VI.

Ios. KISS, intimus ipsius amicus, haec ab ipso artifice impetrauit, et, ne ad exteras oras deueherentur, Zomborini die 6. Mart. 1813. moriturus, disposuit, vt eius filius MICHAEL post obitum patris ista septem MESSERSCMIDTII fabricata in Museo nationali deponere teneatur. Complura illius Fabricata Romae manserunt, multa in Angliam translata sunt, aliqua viuentium numero proxime ereptus, Dux Saxon. ALBERTVS Viennae possedit; Statuarum autem pulcherrimarum partem praecipuam ibidem in Prater zum Thurn von Gottenburg venui nunc exponere FRAN. IAC. STEGER, constat ex *merkwürdig. Lebensgeschichte des* Fr. X. MESSERSCHMIDT 8. *Wien.* 1808. pag. 35. — 62.

69) *Tabula* orbicularis, maximi moduli, plumbea, saeculi XVI. opere anaglypho, commonstrans Ducem cum exercitu, expugnaturum arcem, diligentissime, et artificiose caelata.

Monumentum hoc perquam memorabile, authorem celebrem aetatis suae Pictorem, Statuarium Architectum, et Poetam BENEVENVTO CELLINI colit, qui Florentiae an. 1500. natus est. Romae sua, qua pollebat, dexteritate in delineandi, pingendi, sculpendique artificio R. Pontificem CLEMENTEM VII. adeo deuincire nouit, vt thesauros suos in Castro Angeloburgo, quum illud a milite Caesareo oppugnaretur, eius fidei, et perspicaciae crederet. Vexatus postea fatorum iniuriis Florentiam ad natale solum rediuit, vbi 15. Febr. 1570. pie occidit, prouti IOH. HENR. ZEDLER in *Vniuers. Lexic.* Tom. V. pag. 1792. et seq. haec ex coaeuis Scriptoribus Italis narrat. Extant illius etiamnum Romae nonnullae delineationes, caelaturae, et Poematia. Isthoc quoque pretiosum exemplar inde in Transsiluaniam pertigit, quo probabilius ad expugnationem Angeloburgi fictione poetica allusit. FRAN. NEVHAVSER in Regia Normali Schola Cibiniensi Graphidis, et Architecturae Professor Museo nationali misit.

Digitized by Google

70) *Alia* cornea quadriformis, amores Dianae cum Endymione pastore coloribus exprimens. Dea togata, et pharetrata in colle intra lucum cum pastore, oues pascente consistit. In medio tabulae conspicitur Luna, infra quam Endymio, perpetuo sopore a Ioue damnatus cumbit supinus, circumseptus attributis Dianae, scilicet hasta, canibus, ceruis, aliisque animalibus interemtis. Hunc Dea in fronte cornu gerens, ex equo desiliens, sinistra frenum tenens, incassum e somno excitare contendit.

Tabulam ab Holle *Mytholog. Lib. II. Cap. II.* §. *VII.* explanatam Lvd. Cornides Hung. Iglouiensis ex Comitatu Scepusiensi coloribus in cornu tam subtiliter tenuato effinxit, vt diaphanum euaderet. Tabula, arte chymica ad hunc scopum praeparatos colores imbibit, et perenniores sunt, quam in vasis terrae porcellanae. Acu enim chalcographica picti, se lotione deleri non patiuntur, sique tabula lumini admoueatur, figurae vtrinque translucent, ac ideo vmbraculo adhiberi potest. Noua haec artificis inuentio condignam meretur attentionem.

71) *Tabula* cornea referens Samsonem cum leone luctantem, a Petro Asi Markovics Hierosolymis allata.

§. IX.

Statuae, et Protoma medii, et recentioris aeui.

1) Matthevs Trenchiniensis in magnitudine humanae formae effiguratus, ex cupro, pectoretenus, eoque opulente inaurato, toruo vultu, tonso capite, barba breui, in bifariam diuisa, et in duos cincinnos contorta, spisso mystace, humero denique, atque lato pectore validus. Tegumentum capitis desideratur, quod ei fuisse olim, ex vacuitate supra sinciput, coniectatur.

Isthoc monumentum Hungaricum ab immemoriali tempore latebat in Praetorio L. R. Ciuitatis Trenchiniensis, quin eius aliqua in publicum notitia promanauerit. Nunc antiquitates domesticas Musei nationalis auget ex oblatione Magistratus Ciuici. Matthevs summus olim regionis Trenchiniensis Dynasta ab amplissimo possessorio, multis opibus, atque molestiis, quas Carolo I. Regi facessiuit, in Historia Patriae famigeratissimus est. Oriundi de genere *Csák* biographiam Fran. Bvdai in *Magy. Orsz. Hist. Lexik.* Tom. I. pag. 488. ad paucas paginas contrahere conatus est.

2) Stephanvs Báthory *de Somlyó*, Poloniarum Rex, Lithuaniae Dux, et Transsiluaniae Princeps, in minori forma ad altitudinem septem digitorum, aureato capite, collotenus ex ebore effictus.

Exemplar synchronum saeculi videlicet XVI. Michael Barna, Canonicus Varsouiensis, natione Hungarus ex Comitatu Zempliniensi, Varsouiae reperit, et an. 1806. ad Museum nationale misit. Báthorivs Lauro praecingi meruit, posteaquam ferox cum Moscis bellum superauit. Eius praeclara facinora perinde Fran. Bvdai *Magy. Orsz. Hist. Lexik.* Tom. I. pag. 260. in compendium redegit.

Digitized by Google

3-4) *Hungari* duo ex aere nitide fabricati, olim in aurati, mystacati, mitrati, tunica hungarica, vsque genua protensa, et cothurnis induti, cingulo, gladioque praecincti, manu dextra scyphum tenentes. Vtraque figura sibi similis est, ac neutra altitudinem octo digitorum superat, insistuntque basi, ex eodem metallo concinne caelatae.

Si ex scypho iudicare fas est, videntur fortassis adparatui mensali (*Aufsatz*) deseruiisse. Statuarum labor ad saeculum XVI. referendus est, et probabilius ad tempora Matthiae I. cuius aetate nec splendor in conuiuiis neglectus fuit. Inuentas in vineis supra Budam veterem Ant. Pintér, Parochus Nosztrensis Museo procurauit.

5) *Mors*, sceleton est, mortis simulacrum ex aere in altitudine vnius pedis perquam polite, et apte saeculo XV. fabricatum, exeso videlicet, et dilaniato corpore, vna manu falcem, altera clepsydram sustinens; fulcro, seu basi ligneae insistens.

Hollae *Mythолog.* Part. IV. Cap. II. §. I. docet, christianis saeculis, Mortem iam non amplius sub *Erebi* figura adumbratam esse, sed pictoribus medii, et recentioris aeui hanc effigiem praeplacuisse. Haec Statua praestantioribus artefactis antiquis adnumeratur, et iusto non caret pretio. Steph. Marczibányi *de Puchó* illud ex reliquiis Cimelii Csáktornyensis *Zriniani* comparauit, nunc autem secundis auibus rursum in Cimelio Musei nationalis per eiusdem successores inuenit locum.

6) *Sutor* Sinensis in altitudine vnius fere pedis ex steactite flauo, et diaphano affabre sculptus, barba, et coma nigra pictus, pallio, terram contingente, inuolutus, calceum manu gestans.

Elegans, et genuinum hoc Sinense fabricatum, quod quidam e China redux Missionarius Cardinali Christoph. e Comitibus Migazzi cum nonnullis aliis Sinensibus, et Iapponensibus raritatibus olim muneri dedit, eius ex fratre nepos Comes Christoph. Migazzi Perpetuus in *Aranyos-Maróth* Museo nationali inferendum arbitratus est.

7) Carolvs *Lotharingiae, et Barri Dux*, equo insidens, ex marmore carrario, eleganter sculptus, in altitudine vnius, et dimidii pedis, Imperator exercitus Caesarei an. 1686. in recuperatione a Turcis arcis et vrbis Budensis.

Statua haec in anteriore equi pede, atque cauda vitiata est, non minus Duci, sceptrum (*Commando Stab*) Supremis Archistrategis proprium, manu excidit. Effigies prorsus non abludit ab icone, quam Ioannes Nolano praefixit *Historia della vita di Carlo V. Duca di Lorenza, et di Bar.* 4. *in Venezia* 1699. Erat is Atauus moderni pie, et feliciter imperantis Francisci I. vti et Archiducis Iosephi Hung. Palatini, caeterorumque Serenissimorum Archiducum. De hoc genere Hungaria iam tertium veneratur Regem, vnum Locumtenentem Regium, et Regni Palatinum alterum. Monumentum istud Museo nationali dignissimum, successores Steph. Marczibányi *de Puchó*, non abs re rati sunt.

8) *Pallas* vel *Minerua* sago induta (prouti ab Albrico Philosopho in Libello *de Deor. imaginib.* apud Staveren *Auctor. mythol. Latin.* pag. 912. adumbratur) scutum crystallinum sinistra manu tenet, quod Medusae capite signatum est: pede paullulum incuruato, et trans alterum posito, altitudine tres pedes cum basi fere aequat; estque dexterrime ex marmore carrario in Italia fabricata.

In hac Statua Artifices caput Medusae extollunt: absit tamen, vt credamus, vel eminus assequi achatem orientalem Musei Regii Neapolitani, cui idem incisum est, cuiusue figura extat in *Abregé de toutes les Sciences.* pag. 152. vti etiam in Begeri *Thes. Brand.* Tom. III. pag. 315. et 316.

Digitized by Google

9) *Saturnus* eiusdem fabricae, materiae ac altitudinis, prolem (vt fabula apud POMEIVM *Panth. Mythol.* Par. II. pag. 117. narrat) deuorat. Pueri eiulatus, et lucta cum Patre, quem per comam tenet, ad viuum exprimitur.

Statuarius vtcunque aemulari conatus est imaginem Saturni ab ALBRICO *Lib. cit.* pag. 896. descriptam, scilicet hominis senis, cani, prolixa barba, curui, tristis, pallidi, qui filium paruulum ad os adplicabat, et eum deuorare videbatur: quo symbolo tempus edax rerum opportunissime designari putatur. — Caeterum binae hae Statuae inaestimabilis censentur esse artificii, et pretii, fabricatae Florentiae a MICH. ANGELO de BONA ROTA, cuius etiam MORHOFFIVS in *Polyhistor. literar.* Tom. I. Lib. I. Cap. XXV. §. 22. et 23. meminit. Anno 1805. Gallis Viennae existentibus, ex Italia allatae sunt, iis vero discedentibus ibidem relictae, apud hospitem domus, in qua plures eorum degebant. ANT. KLEFFER Ord. S. Bened. ad Scotos Viennae Professus, et Abbatiae S. Steph. de Telky in Hung. Administrator in talismodi antiquitatibus adpretiandis insigniter versatus, tantum aeris possessori pro vtraque obtulit, et soluit, quantum in suos importunos inquilinos per tempus commorationis impendere coactus fuit, animo Patriae gratificandi, easque Museo sacrandi. Sed vitam cum morte citius commutante, quam voluntatem exequi posset, eruditissimus Abbas AND. VENZEL AA. LL. Phil. et SS. Theol. D. eiusdem Facult. in C. R. Vniuers. Vindobon. Direct. S. C. et R. A. M. Aul. Consiliar. etc. haud tergiuersatus est, promissi soluere fidem, et an. 1817. nomine defuncti utramque Statuam Sereniss. Archiduci IOSEPHO, Regni Palatino resignare.

10) T. Fl. VESPASIANVS, haud impolite, anaglyptico labore, in dente aprino caelatus, cristata galea, et pallio ad pectus confibulato tectus.

Facies respondet plene numo, quem ARNTZENIVS in editione SEX. AVR. VICTORIS. *Hist. Rom.* pag. 497. produxit. Fabricatum ipsum est recens, quod Custos rei num. et antiq. ANT. HALICZKY procurauit.

11) *Iuno* nouem digitos alta, ex alabastro figurata, vti in numis Regina persaepe occurrit, dextra manu peltam tenet, ante pedes Pauo *gemmis* (inquit OVID. Lib. I. Metamorph.) *caudam stellantibus implet.*

Iunonem alias curru, pauonibus praeiuncto, et coronatam, sceptrum quoque manu gerentem, Reginaeque nomine insignitam, alii aliter figuratam pingebant, in omnibus tamen iconibus *Pauo* praecipuum eius est attributum. Licet e terra haec statua an. 1800. in Comit. Bácbiens. possessione *Temerin* effossa sit, tamen ante saeculum XVII. caelata non est. Huius enim saeculi plures supersunt lapideae tabulae, et statuae coloribus tinctae. In hac quoque vestigia colorum, qui sub terra humore absorpti sunt, adhuc aliqua adparent. Defunctus C. mes ALEXAND. SZÉCHEN *de Temerin* S. C. et R. A. M. act. int. Status Consiliar. et Excel. Cam. Reg. Hung. Aul. condam Praeses Museo reliquit.

12-13) *Protome* DEMOCRITI ridentis, et HERACLITI plorantis in altitudine quinque digitorum ex alabastro ita efformati, vt affectus humanos, hic risum, ille fletum adeo luculenter exprimant, vt manum artificis peritissimi nemo non possit non stupere.

Vtramque statuam a vidua Comit. FRAN. SZÉCHÉNYI, nata IVLIANA e Comitibus FESTETICH iam an. 1803. cessam, et a Posoniensi celebri Statuario F. X. MESSERSCHMIDT fabricatam esse, in *Zeitschrift von, und für Ungern* IV. Band III. Heft pag. 130. insinuatum est.

14-15) *Protoma* eiusdem ridentis DEMOCRITI, et eiusdem plorantis HERACLITI ab eodem artifice in magno hominis formato ex argilla, cinereo colore tincta, dexterrime plasmata.

Digitized by Google

In vtraque affectus humani, scilicet risus, et fletus communi iudicio magis discernuntur, quam in praecedentibus minoris formae. Erat enim artifici consuetudo, vt omnes suas caricaturas in argilla praeuie effomaret, tum primum in aere, marmore, vel alabastro effingeret. VENDELIN. BACSÁK, compl. II. Comitat. Tab. Iud. Assessor has ab ipso artifice obtinuit, et an. 1817. Museo contulit.

16) *Protome Vestae*, ex alabastro sex digitos altae, velo oblongo caput obtegentis, vultu senili.

Etsi opus sine singulari industria saeculo XVIII. effictum sit, tamen forma veterum mythologiam implet. Nam ARTEMIDORVS *Onirocritic.* Lib. II. cap. 49. ei anus formam tribuit, et VIRGILIVS *Aeneid.* Lib. IX. v. 259. inquit: *canae penetralia Vestae.* Exemplar hoc ANT. HALICZKY rei num. et antiq. Custos pro Museo obtinuit.

17) *Caput* eburneum, quod parte vna virginem formosissimam repraesentat, altera vero sceletum carie exesum, cum inscriptione: 1716. FIEBAM IN CARTVSIA MOGVNTINA.

18) *Caluaria* ex ebore multo studio ad naturae imitationem efficta.

Isthoc schema perfecit olim Aug. Vindelicorum celebris Statuarii SCHLÜTTER manus, a Comite Ios. ANDRÁSSY *de Csik Sz. Király, et Krasznahorka* S. C. et R. A. M. Camerario ex aliquo abolito monachorum Camaldulensium, (apud quos talismodi fabricata erant frequentissima) claustro tum hoc, tum etiam praecedens redemtum, Museo obtigit.

19-20) STEPHANVS, Protorex Hungariae, et GISFLA, Coniux, Protoregina, Corona, paludamento, caeteroque ornatu regio amicti, in altitudine septem digitorum, multa elegantia ex ebore sculpti, insistentes basi perinde eburneae.

Duae istae affabre effictae Statuae olim Cardinali a BATTHYÁN, quum adhuc Transsiluaniae Episcopus esset, Cibinii ante annos sexaginta donatae fuerunt, post eius obitum illas auctioni publicae Posonii expositas STEPH. MARCZIBÁNYI *de Puchó* redemit, huius autem successores iisdem Musei fortunas auxerunt.

21) *Mulier* Africana, nouem digitos alta, nudo corpore, breuibus, limbulatisque capillis, dextro pede paullulum incuruato, manu dextra cornucopiae tenet, sinistra corbem, fructibus repletum, super capite seruat, ex argilla nitide plasmata.

22) *Alia* aliquot digitis minor, perinde ex argilla nigra, composita, capillis ad humeros protensis, corpus nudum linteamine inuoluit.

Vtraque recentis est operis. Talismodi plasmata ab Italis *Pasta* dicuntur, qui in hoc artificio hodie excellunt, numos, et gemmas effingunt, et a germanis *Abdrücke* nominantur. Binae istae Statuae ex testamento STEPH. SÁNDOR *de Szlavnicza* Museo obuenerunt.

23) *Idolum* Sinense (*Pagode* vocant) in forma nimiopere obesi monstri sedens, ex steatite flaui coloris diaphano effictum, altitudine quinque digitos aequans.

24) *Sacrificulus* Iaponensis (*Bonze* dictus) suis cum attributis, toga latarum manicarum indutus, dependente longiori mystace monstrosus, et cornutus mitra, in al-

Digitized by Google

titudine vnius pedis ex steatite pellucido elegantissime formatus, stollam, literis sinensibus refertam, de collo gerens.

25) *Mulier* Sinensis, vnum pedem, et tres digitos alta, longa toga cum latis manicis induta, nigricoma, proiectum post tergum saccum baiulans, ex diaphano steatite albo, ad viuum eleganter sculpta.

26) *Alia* ex eodem lapide efficta, eiusdem quoque magnitudinis, pallio contecta, limbis olim inauratis, subtilissime incisis, decorato, conspicua est.

27) *Alia* sedens, coma nigra colligata, etiam vnum pedem, et duos pollices alta, pedes, ad morem asiaticum transuerse positos, tenens, longo, latoque habitu, eoque vndique limbato vestita, manu vna in patina dimidium melonem propinans, perinde ex diaphano albo steatite, insigni cum artificio caelata.

Omnes istae quinque a num. 23. — 27. Statuae haud spuriae, sed omnino genuinae, a Chinensibus fabricatae sunt, et, vt ex attritis ornamentis coniectare pronum est, fortassis adhuc saeculo XVII. Nam sub primordium saeculi XVIII. e China redux Missionarius Ioan. Bákovszky Societatis Iesu Sacerdos Hungarus, eas Pekino secum in Patriam aduexisse, et vni Cognatorum suorum iis gratificatus esse dicitur; a cuius haerede ad Steph. Marczibányi *de Puchó* peruenerunt, et ab huius successoribus ad Museum.

28) Maria Mater Regina coelorum cum basi, cui insistit, semialterum fere pedem alta; ex ebore diligentissime caelata est, pedibus lunam calcat, Iesulum globulo insidentem fouet, promissis Virgo Beatissima ad humeros capillis, Coronam capite fert, corpusque longa integit toga, atque velo.

Insigne hoc opus praeterito saeculo prodiit ex fabrica famigerati sculptoris Le Jean, apud quem elegantem hanc Statuam fieri curauit defunctus Carol. L. B. Perényi *de Perén*, Consecrat. Episcop. Tyberiad. M. E. Strig. Archidiac. Cathedral. in Pontifical. Suffragan. et Excel. Tab. Septemuiral. Assessor, qui paulo ante obitum eandem Museo nationali dicauit.

29) *Protome* ideale Herois Romani in forma grandiore, lorica induti, et galea muniti, ex argilla candida, siue marga Schemniciensi diligenter elaboratum.

Schema hoc Pestiensis surdus et mutus Mich. Römer sponte pro Museo an. 1817. nullo alio instrumento adhibito, quam scalpello, et clauo effinxit.

30) *Statua* eburnea *Herculis* sedentis, ad vnius, et medii pedis altitudinem politissime afformata, colum manu sinistra tenentis, dextra fila trahentis. Captus enim amoribus *Omphalis*, quae ad eandem magnitudinem efficta, lateri assidet, arcum premens, procum instruit, pensa muliebria promte perficere. *Cupido* ad pedes Deae sedet, penes se pharetram iacentem habet, et ridens Heroem effoeminatum intuetur.

Statua saeculi XVIII. omnibus numeris absoluta, et pretiosa, fabulam exprimens, quam Fvlgentivs *Mythologic.* Lib. II. cap. V. apud Staveren *Auctor. Mythograph.* pag. 672. his verbis interpretatur: „ Parcite, quaeso, iudices, humanis ardoribus. Quid enim puerilis, aut muliebris sensus in amore „ efficiat, ex quo in libidinis pugna Herculea desudat virtus? Mulieris enim inlecebra maior est mundo: „ quia quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido compressit. Inuasit ergo virtutem de crimine fe-

Digitized by Google

„ mina, quam mereri non potuit de natura. Hercules enim amauit Omphalen, quae eum persuasit, et „ coeli delicatos eneruare contractus, et lasciuienti pollice fusi teretem rotare vertiginem."

31) *Saturnus* eadem artificis manu, et forma, perinde ex ebore, in magnitudine prioris caelatus, promissa barba, capillis, itemque alis instructus, sedet, falcem penes se iacentem habens, vna manu filum (quod Genius pedibus accumbens stringit) seruans, cultro abscindere tentat, sed per *Lachesim*, lateri assidentem, facere cohibetur.

Hanc figuram in nonnullis gemmis antiquis comparere, docet Fvnke in *neuen Real Schul— Lexicon* Tom. V. pagina 85. et seqq. Vtraque Statua saeculo XVIII. producta est, et ab operis elegantia commendatur. Comes Ios. Eszterházy *de Galántha* etc. sibi testamento per defunctum Consiliarium C. R. Iac. Pethő legatas, Museo nationali an. 1820. transcripsit.

32) *Mars* hastatus, et galeatus consistens in curru triumphali, qui a ferocissimis equis rapitur, sinistra manu catenae alligatum trahit mancipium, cui post tergum a custodia armatus adstat miles Romanus.

Fabricatum hoc ex spuma marina Pestini Sutor Ios. Brandmüller, artem caelandi nunquam doctus, proportione accuratissime obseruata, ad omnes plasmandi regulas sub bello Gallico dexterrime adparauit. Figura Martis ita formata est, quemadmodum a veteribus pictam, Albricvs *de Deor. imaginib. Libel.* apud Staveren pag. 899. refert. Sub Marte allusit ad Napoleonem; rapidis equis exprimere voluit celerem victoriarum cursum; mancipio vinculis adstricto ostensurus erat debellatos populos; demum per militem indicaturus gloriosum Gallorum exercitum. Isthoc paradigma Parisios, lucri capiendi caussa, mittendum destinauit. Sed mutata Martis alea, mutauit consilium, et illud supprimere studuit. Steph. Horváth AA. LL. et Phil. D. II. Comit. Alben. Nitrien. et Comárom. T. I. Assess. in R. Vniuers. Scientiar. Hung. Actuar. Praesidial. et Biblioth. Széchén. Regnicol. Custodi fortuna fauit, illud leui pretio redimendi, et Museo offerendi.

§. X.

Annuli varii.

1) *Annulus*, exhibens in tenui lamella aurea caput Principis Fran. II. Rákóczy

Huius generis lamelluIas (hodie iam rarissimas) male contentorum Hungarorum Senatores an. 1703. deferebant in annulis diuersi metalli, vel eboris in signum confoederationis, et iuratae Duci suo fidei. Hanc raritatem Petr. Kvbinyi *de Felső Kubin* Museo procurauit.

2) *Annulus* antiquus, grandis, sed rudis fabricae ex argento, praeter informis nodi signum, nihil ostendens.

E terra prope *Vál* in Comitatu Albensi profunde effossus anno 1810. ab eiusdem Comitatus Vice-Fiscale Ant. Huszár Musco datus, sed ex forma determinari nequit, an hungaricus, illyricus, vel turcicus sit?

3) *Annulus* argenteus antiquus duabus serulis, et quatuor carbunculis in nodulum quadriformem complicatis, micans.

Digitized by Google

Indubie fuit aliquando serblici digiti ornamentum. Viguit enim apud hos consuetudo, occasione desponsationis, huius formae annulos, plus minus pretiosos, inter Sponsum, et Sponsam opulentiores commutare. Iste inuentus est *Szegedini* inter arcis moenia, et a Steph. Vedres eiusdem L. R. Ciuitatis iur. Geometra, Hydraulico, et Architecto Museo traditus.

4) *Annulus*, specialis formae ex integro frusto carneoli excauatus, et probabilius pro annulo sigillari paratus, sed nullam notam refert. Circulus duntaxat tenui lamellula argentea armatus est.

Seu turcicum, seu serblicum dixeris, memorabilem esse, Lithoglyphi affirmant. Museum an. 1819. ex Bosnia ab Episcopo Avgvst. Millетich percepit.

5) *Annulus* argenteus, auro tinctus, lato circulo filorum instar contextus, in medio quinque vnionibus orientalibus minusculis eminens.

Antiquum foeminae olim Hungarae forma indicat, ad *Magyar Kanisa* pone Tibiscum effossum Dan. Karczag Museo intulit.

6) *Annulus* item argenteus, olim inauratus cum attrito malachite.

Hunc mulieris condam Hungarae, Pestini in propria domo effossum, hospes Ioan. Steinbach Museo cessit.

7) *Annulus* argenteus, praeter laminam, ex qua gemma excidit, nihil referens.

8) *Annulus* ex argento instructus nodo grandiore, cui iterum incumbunt quinque parui globuli, infra nodum aeque decem globulis incingitur circulus.

Vtrumque Pestini prope Danubium in loco, vbi nunc Theatrum stat, effossum, antiquitatis caussa, Museum decem florenis redemit.

9) *Alius* argenteus in magnum nodum desinens, cui probabilius lapis olim insertus fuit.

Alba Regia Steph. Horváth tulit.

10) *Alius* aeque argenteus, auro illinitus, cum nodulo, duodecim carbunculis splendicante, ex qua duae serulae, et quinque (sexta desideratur) lamellulae instar. perticarum perforatae pendent.

Hunc ex Serblicis reliquiis esse, forma annuli confirmat. Erutus est an. 1808. in Comitatus Pestiensis Praedio *Bojár*, et a Ioan. Tersztyánszky *de Nádas* eiusdem, et aliorum Comitat. Tab. iudic. Assessore ad Museum N. missus.

11) *Annulus* etiam argenteus, cui carneolus, signis hieroglyphicis, vel literis arabicis notatus, includitur.

Huius generis annulos Turcae, et Arabes *Talisman* nuncupare solent, summoque in pretio habent. Vtuntur enim illis ad varias superstitiones exercendas, firmiter persuasi, talismodi amuletis omne

Digitized by Google

desiderium implendum. Hinc digito imponere consueuerunt, dum praeliantur, praedantur, luxuriantur. Quamquam non tantum apud orientales populos, sed etiam europaeos, praecipue inter Graeco Ritui addictos homines, diu eiusmodi amuleta superstitiosa viguisse, sciatur; immo etiam apud alias nationes hodiedum reperiuntur *Constellations-Ringe*, et *Figures constellées*, de quibus Hübnervs in *Staats Zeitungs- und Conversations Lexicon.* pag. 2218. ad vocem *Talisman* disserit. Annulus iste Musei repertus est an. 1812. Budae in horto Palatii Regii, pretioque duorum Thallerorum emtus.

12) *Alius* aeque argenteus, qui perinde carneolum, hieroglyphis refertum, intercipit.

Budae in arce effosso, L. R. Ciuitatis Magistratus Museo gratificatus est.

13) *Alius* insolite maior ex aere, auro tinctus, cuius nodus hieroglypho signatus est.

Istum in digito eruti apud Neogradienses cadaueris, indubie Turcici, repertum, an. 1813. Ordin. Procomes Pavlvs Gyürki *de Lossonez* ad Museum transposuit.

14) *Alius* aereus auro olim illinitus, in quo gemmula desideratur.

Digito foeminae accommodum fuisse ostendit. Hunc Cimeliothecae intulit Ioan. Werle equestris Legionis Hungaricae Palatinalis Capellanus Castrensis.

§. XI.

Gemmae, et Conchae caelatae, aliaque varii generis Lythoglyphica.

1) *Mensula* rotunda, in diametro semialterum pedem metiens, vnice ex diaphanis maiusculis lapidibus Hungaricis tesselata.

Defunctus Episcopus, et Canonicus M. E. Strigoniensis Arady Lapides Vacii in Instituto Surdorum, et mutorum affabre poliri, Posonii autem in formam mensulae componi iussit; moriturus Museo reliquit.

2) *Tabula* quadriformis ostendens, compositum ex XLIII. politis variae formae carbunculis, opalis, iaspide, carneolo, calcedone, achate, ametystis, hyacinthis, malachite, smaragdo, topasiis, crystallis, margasitis, etc. Quadratum inflexis angulis, quod includit eiusdem formae minus quadratulum.

3) *Alia* ex XXXII. perinde ex similibus diuersae speciei lapidibus diaphanis, ad formam alicuius aedificii apte dispositis, constans.

4) *Alia*, etiam XLVII. talismodi pellucidis lapidibus Hungaricis in figura pyramidis conglutinata.

Digitized by Google

5) *Alia* ex XXXVII. eiusdem generis lapidibus stellam repraesentans.

6) *Alia* ex XXI. frusto rhomboidalem exhibet figuram.

7) *Alia* XXXIII. lapidum fragmentis octogonum efformat, haud inconcinnum.

8) *Alia* ex L. variegatis lapillis Crucem, cum octo angulis coagmentatam, oculis proponit.

9) *Alia* ex XLVI. lapidibus circulum effingit, qui triangulum intercipit.

10) *Alia* ex CXXX. selectissimis lapidibus, literas initiales I. A. P. id est: IOSEPHVS ARCHIDVX PALATINVS, Corona tectas, exhibentibus, affabre confecta.

Nouem istae Tabulae quadriformes, sed distinctae magnitudinis a num. 2. – 10. collectae sunt ex pretiosis Hungariae, et Transsiluaniae lapidibus, et diuersis formis imbutae a denato FRAN. FOJTH Pharmaciae Magistro, et in Museo nationali Mineralogiae, et Botanicae Curatore. Ipsi vero lapides sunt ex collectione Sereniss. Archiducis IOSEPHI Palatini, Excell. LAD. KÖSZEGHY *de Remete*, Episcopi Csanad. S. C. et R. A. M. act. int. stat. Consiliarii, Excell. STEPH. MARCZIBÁNYI de Puchó, et Prof. Eperiesien. Instituti puellar. MATH. SZENOVICZ, delecti.

11) *Lithocollum*, siue, vt aiunt, *Pasta*, diaphana, formae oualis, nitidissime rubescens, quae Herculem, dilaniando Leone occupatum, eleganti caelatura ad viuum exprimit.

Defunctus IOAN. KVTSCHERSFELD *de Kutsera*, Custodis Camerae Naturae Productorum Adiunctus an. 1811. illam *Nagybánya* attulit.

12) *Conchylium* paruum, in quo anaglyptico opere insigniter caelatum est caput muliebre ignotum, cincinno, atque floribus exornatum.

Hoc LVD. DVVIN in exercitu Gallico Vice-Colonellus, an. 1814. ex Hungaria Parisios rediturus, in sui memoriam Museo reliquit.

13) *Gemmula* ex obsidiano, effigie IOSEPHI II. Imp. pro annulo caelata, margine argentea incincta est.

14) *Chalcedon* oualis formae, et maioris moduli, ignotum caput laureatum, anaglyptico opere polite caelatum proponit, etiam argento marginatum.

15) *Xilopalus* lacteus, oualis formae, opere anaglyptico insigniter caelatum ideale caput foemineum, hyemali pileo opertum, aeque argentea lamellula marginatum est.

16) *Limax* communis, cauus, et oualis, galeato capite Alexandri M. anaglytice ad omnem elegantiam effigurati, et argento incincti eminet.

Digitized by Google

Quatuor haec elegantioris caelaturae schemata, scilicet num. 13. 14. 15. et 16. circumforaneus italus Cremonensis ANT. ROVINI Scalptor Pestini ex lapidibus Hungaricis sculpsit, et Museo nationali pretio septem aureorum vendidit.

17) *Carneolus*, ouali forma effigiatus, icone Augustae M. THERESIAE Imperatricis, et Reginae Hungarorum Viduae, velo contectae, aureae lamellulae inclusus superbit.

Praeclarum hoc industriae specimen commendat singularis dexteritas sculptoris, IOAN. SIMON Transsiluani Claudiopolitani, qui artem caelandi nunquam didicit, sed sine magistro longa exercitatione adeo se perfecit, vt complura iam ediderit schemata. Effigiem immortalis Hungarorum Dominae ad viuum expressam in Museum recipi, ipsemet petiit.

18) *Tabula* oualis, flauo serico obducta, orichalco circum marginem laminata, quae nouem gemmas huius aeui, diuersorum capitibus dexterrime sculptas complectitur.

a) *Carneolus* continet opere anaglyptico elaboratum protome *Iolis*, quam Hercules procabatur, cum pelle Leonis, qua caput tectum est. Vehementer laudatur ab elegantia.

b) *Crystallus* montana, cui incisum est protome *Horatii.*

c) *Chalcedon* lacteus refert caput *Epicuri.*

d) *Xilopalus* cum capite Virgilii.

e) *Lapis Lazuli* cum protomi *Zenobiae* Palmyrensis Reginae, vti profertur in gemma apud BEGERUM *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 204.

f) *Carneolus* capite *Scipionis* Africani gaudet.

g) *Onyx* cum *Protomi* Aristotelis.

h) *Serpentinus* lapis, flauo-viridis, pellucidus, exhibet nitide sculptam *Amoris* figuram, basi insistentis.

i) *Lithocollum* cum capite *Napoleonis.*

Nouem haec elegantissima paradigmata prodierunt Monachii ex officina celebris Plasmatoris VZSCHNEIDER, quae Museum nationale duodecim aureis emit.

19) *Amethystus*, maioris moduli, orbiculariter politus ad formam vitri caustici, ad lucem ostendit incretam spongiam, insertus nitidae Tabellae.

Raritas haec Museo obtigit ex munificentia Sereniss. Archiducis IOSEPHI Palatini.

Digitized by Google

§. XII.

Mundus muliebris varius.

1) *Cingulus* hungaricus antiquus, tres digitos latus, et semi ulnae longus, cum grandiore orbicularis formae fibula, ex cuso argento, inauratus, et ad gustum saeculi XV. multa cum diligentia floribus eleganter effictus.

Huius generis Cingulos etiamnum in Transsiluania, cumprimis inter nobiliores matronas Saxonicas, Armenicas, et Graecas videre est. Olim ad praecipuum ornatum foeminarum Hungaricarum referebantur. Iste pertinuit ad Svsannam Lorántffy, Coniugem Transsiluaniae Principis Georgii I. Rákóczy; emtionis via peruenit ad Steph. Marczibányi *de Puchó*, et ab huius haeredibus ex dono ad Museum nationale.

2) *Catenula* (vt aiunt) venetiana, ex minutis circulis argenteis fortiter contexta, et pro Collari foemineo in duos ordines disposita.

Labor saeculum XVI. indigitat, quo huiusmodi catenulas iam apud Venetos in vsu fuisse, ex Krüniczio constat. Hanc profunde e terra in *Balassa-Gyarmath* an. 1813. erutam, fatis functus Ioan. Szentiványi *de Eadem*, S. C. et R. A. M. Camerarius, Consiliarius, et I. Comitat. Neogradien. Ord. Vice-Comes a sordibus purgari curauit, et Museo intulit.

3) *Alia* aeque argentea, solidioris fabricae, quae olim etiam de collo Hungarae mulieris pendebat, dimidiae vlnae longa, ex saeculi XIV. reliquiis.

Reperta est inter Antiquitates Körmendienses, quas a Principe Philip. *de* Batthyán ad Museum missas iam pluribus locis insinuatum est.

4) *Collare* ex aureis filis complicatum, intermixtis duobus saphyris, totidem smaragdis, et viginti rotundis vnionibus.

Ornamentum hoc Hungarae mulieris ex saeculo XV. effossum Budae in arce prope statuam SS. Trinitatis, et a Magistratu Ciuico an. 1811. Museo nationali illocatum est.

5) *Aliud* compositum ex perforatis vno, et decem hyacinthis maiusculis, caeteris probabilius deperditis.

Hoc *Szegedini* ex collo foeminei cadaueris, prope Tibiscum an. 1804. effossi, decerptum, incola Szegediensis, qui illud effodit, ad Museum detulit. Rudis politura antiquitatem indicat.

6) *Corolla* argentea, duas et decem semuncias ponderans, ad ornatum capillarem virginis Hungarae olim pertinens, quae alias *Párta* nominatur.

7) *Nodulus* argenteus, reticulato opere, affabre fabricatus, ex acu capillari (*Hajtő*) Hungarae puellae. Acus desideratur.

Digitized by Google

8) *Alius* aeque argenteus, ad ornatum capillarem, haud informis, sed acu, vel stilo (vti hodie fabricantur) longiore perinde caret.

9) *Inauris* argentea ad formam amygdali efficta.

Haec quatuor frusta an. 1816. *Oraviczae* in Comitatu Krassouiensi sub aliquo fornice reperta sunt, pro quibus ex fisco Musei Camerae Reg. Hung. Aulicae viginti floreni Mon. Conu. persoluti sunt.

10-11) *Armillae* duae brachiales, ex compluribus oualis formae tenuissimis lamellis argenteis complicatae.

12-13) *Corymbia* duo oblonga, perinde ex pluribus eiusdem metalli tenuibus lamellis confecta, ad ornandam comam, prouti idipsum etiam hodie apud illyricas, et valachicas mulieres moris est.

14) *Tenia* longior argentea aeque infinitis subtilibus, oualis formae, lamellis decorata, quae, ab vno humero ad alterum ducta, pectus contegebat.

15-16) *Inaures* duae argenteae ex quatuor longiusculis catenis, pendente ex singulis lunula.

Mundus iste muliebris ex septem memoratis num. 10. – 16. frustis constans, effossus est an. 1816. in Comitatus Báchiensis praedio *Sebesits*, et ab eiusdem Comitatus Vice-Notario, ac AA. LL. et Phil. D. eiusdemque Facultatis in R. Vniuersit. Hungarica Commembro, Ios. Rvdics *de Almás* Museo nationali cessus. Si ex pendentibus numerosis lunulis iudicandum est, haec antiquitas ad reliquias in regno Turcicas referri debet.

17) *Thecula* specularis parua, in figura quadrati oblongi, ex pellucida, rosaceum colorem ludente, concha margaritifera, aureis, et argenteis floribus, mussiuo opere, caelata, margine quoque argentea lamellata, et in aduersa parte speculo accommoda.

Inuentam, confracto speculo, inter gramen in horto Orcziano Pestini, ob singularem elegantiam Museum emit an. 1815. vno Rhenensi. Labor est Parisinus.

18-19) *Inaures* in forma globuli aureae, cum ansula, tribus paruis nodis circumdata. Inaures glabrae sunt, praeter eminentiam metalli, et antiquitatem nihil speciale praeseferunt.

Reliquiae sunt saeculi XIV. quo tempore, Antiquariorum animaduersiones docent, apud Hungaros in vsum venisse, vt minutiae sine ornamentis, sed glabrae conficiantur. Istae repertae sunt in *Románd*, Comitatus Weszprimiensis possessione an. 1819. sub terra, vbi probabilius mulier sepulta iacuit. Ios. Iósa Praefectus Bonorum Episcopatus Iaurinensis Museo dicauit.

20-23) *Aliae* quatuor in magnitudine oui columbini, ex argento, nodis vndique protuberantibus, vel si placet, globulis compliciti, addita vnicuique, ad adplicandum auribus, eiusdem metalli fibula.

Si ex loco, vbi repertae sunt, scilicet *Oraviczae*, arguere lubet, Inaures istae dicendae sunt Dacicae, quum constet, ea in regione veterem Daciam quaerendam esse. Verum, quum in eodem terri-

Digitized by Google

torio non pauca iam inuenta sint indubitanter hungarica, et antiquus gustus Hungaricarum foeminarum etiam a graecis tantum mutuatus sit, propriumque in admodum paucis monumentis habuerint, praestat nihil certo asseuerare, quam hallucinari. Steph. Horváth eas an. 1819. in valore argenti pro Museo a Camera R. H. A. redemit.

24-25) *Aliae* argenteae duae, quae tam vetustate, quam forma speciali se distinquunt. Sunt enim oblongae, et figuram oui tesselati praeseferunt, fritillo incinguntur instar moeniorum, pendentibus ex subtilissimi fili argentei annulis quatuor, ornamenti caussa. Suspensas autem perforatis auribus, vt hodie moris est, nequaquam fuisse, sed alligatis ex armillis insolite grandioribus, quae integram tegunt aurem, luculenter adparet. Tota structura, inferius in nodulum desinens, tantae est elegantiae, vt nec nostra aetate peritissimum artificem huius operae pudere oporteret.

Summa haec raritas ex antiquitatum Gothicarum reliquiis in superiore Hungaria ante plures annos e terrae visceribus eruta, testimonio esse potest, confirmatura scilicet, quae de habitationis loco, occupationibus, sedibus, et lingua Gothorum in Pannonia docuerunt Math. Belivs in Praef. §. V. et seqq. ad *Institutiones linguae Germanicae* 8. *Posonii* 1755. et post hunc Ioan. Severinvs in *Pannonia veterum monumentis illustrata.* 8. *Lipsiae* 1770. Ista Museo digna vetustatis Schemata, Sereniss. Archiduci Iosepho, regni Palatino sub Comitiis Posoniensibus an. 1812. oblata fuerunt.

26-27) *Aliae* ex purissimo auro duae, magni moduli, globulis diuersae magnitudinis decoratae, armillis, vt auribus adpendi queant, instructae, affabre formatae sunt. Quaelibet earum sex, et dimidium aureum pondere aequat.

Vtraque anno 1813. in confiniis militaribus Banatus Temesiensis, ac quidem in diuersis locis reperta est, vna in *Alibunár* per Legionis Pedestris Germanico-Illyricae Capitaneum Attanazkovich, altera in *Perlász*, per Superiorem Locumtenentem Schmitth: pro Museo Praefectura Armorum Banatica obtulit Archiduci Iosepho Palatino. Vtriusque forma est eadem, et fabricam Dacicam ostendit. Labor multum similitudinis habet cum ingentis pretii thesauro, qui ante plures annos in Szent Miklós inuentus, et nunc in Cimelio Aulico Caesareo Regio Vindobonensi publico conspectui expositus est. Vti defunctus eruditissimus Antiquarius Steph. Schönvisnervs thesauri illius paradigmata in *Notit. rei num. Hung.* pag. 84. descripsit et pro Bulgaricis, vel Dacicis tenendas asseruit; ita has quoque Inaures vel Bulgaricas, vel Dacicas declarauit. Illinc Dacos suas habuisse sedes sat, superque eruerunt Severinvs in *Pannonia cum Dacia Tibiscana.* 8. *Lipsiae* 1770. et Engelivs in *Commentat. de expeditionibus Traiani ad Danubium.* 8. *Vindob.* 1795.

28) *Fragmentum* ex inaure antiqua aurea exiguum, probabilius ex fabrica praecedentium.

Hoc quoque in *Alibunár*, ac quidem in horto Postae Magistri Ios. Schiessl inuentum est, a quo Museum accepit.

Digitized by Google

§. XII.

Iocularia, et Vtensilia.

1) *Candelabrum* aereum altitudine vnius pedis geometrici, cuius basis quadrangularis est. Eius margo in infima parte inscriptionem refert maioribus cursiuis huius formae literis: *FRANCISCVS. RAKOTZY. ANNO.* 1666. *TATA VÁROSA.*

Si antiquitatem excipias, labor politioribus fabricatis accenseri non meretur: indicat tamen veterem consuetudinem, qua Hungari olim gratos suos hospites, aut Coloni Dominos Terrestres occasione Statutionum, Nuptiarum, aliarumque festiuitatum donis deuincire studebant. Hoc quoque candelabrum Francisco I. Rákótzy a Tatensibus certa occasione oblatum fuerit. Nuper pro Museo Nationali comparauit suo aere eximius Patriae Ciuis Petrvs Kvbinyi *de Felsõ Kubin et Déménfalva.*

2) *Emunctorium* aereum turcicum, olim inauratum, floribus, ac protomi Praefecti, seu Bassae Turcici excellens.

Budae, quae centum quadraginta annis sub iugo turcico gemuit, inter rudera alicuius Domus inuentum, Lvd. Schedivs, AA. LL. et Phil. D. in R. Vniv. Hung. eiusdem Facultat. Pro-Senior, Aesthetic. P. P. compl. I. I. Comit. T. I. Assessor, Vniuers. Charcouien. Honorarium, Societ. R. Scientiar. Götting. correspon. Membrum, et Lat. Ienen. Socius Museo nationali procurauit.

3—14) *Nodi* duodecim, sex quippe maioris, ac totidem minoris moduli, pro chlamyde, atque tunica Hungarica, antiqui, ex achate concinne politi, intextis ex aureo filo nitidis rosulis.

His saeculi XVI. reliquiis Successores Steph. Marczibányi *de Puchó*, in Museo locum assignarunt.

15-16) *Alii* duo argentei, reticulato, vt aiunt, opere, non inculte fabricati, ex tunica hungarica.

Vterque olim tunicam Petr. Zrinii, Neostadii decollati ornabat; an. 1808. ex eius tumba exceptos, denatus Gabr. Gosztonyi *de Kis-Némethy* Ord. Iud. Nobil. in Comitat. Pestiensi Museo nationali inde tulit.

17-18) *Alii* duo perinde argentei cum totidem seminodulis antiquis, olim etiam auro tinctis.

Videntur ex structura ad ornatum equilium phalerarum pertinuisse. Sunt ex fragmentis thesauri *Körmendiensis*, iam saepius memorati, et a Principe Philip. de Batthyán ad Museum illocati.

19) *Nodus* argenteus, ex tunica, vel chlamyde Hungarica, fusus, referens equum currentem cum epigraphi: SOLA. IVSTITIA. 1694.

Digitized by Google

Ex hoc emblemate quibusdam Opinio enata est, huius generis nodos fuisse nonnullorum tumultuantium signum. Id certum, in partibus Tibiscanis plures ab aurifabris esse liquatos. Steph. Vedres hunc, Szegedini detectum, Museo administrauit.

20) *Cacabulus* fumatorius turcicus, ex radice, lamina cuprea, olim inaurata, solide munitus, cuius operculum domunculam repraesentat.

Saeculo XVII. pertinebat ad Begum *Neszmélyiensem*. And. Szabadhegyi Ord. Iudex Nob. Comit. Comárom. inter antiqua antenatorum suorum impedimenta inuentum, an. 1813. Museo vltro conseruandum credidit.

21) *Alius* aeque pro sugenda herba nicotiana ex radice eleganter sculptus, Scuto videlicet L. R. Ciuitat. Leutschouiensis, decoratione praeterea florum, et parergorum, argenteo item operculo cum longiori catenula solide vestitus, inciso caelatoris nomine, loco, et anno: IO. MÜLLER. LEVTSCHOVIAE. 1812.

Fabricatum hoc hungaricum ea cumprimis de caussa notabile est, quod artifex Leutschouiensis proprio marte similes caelaturas effingat. Primarius L. R. Ciuitatis eiusdem Iudex, et Caussar. F. V. iurat. Aduocatus, Ios. Kritska, requisitus, hunc cacabulum in artificis, suique memoriam fieri, Museum autem argento muniri curauit.

22) *Cestrum*, siue instrumentum ex argento purgatorium saeculi XVI. operis turcici, ad cacabulos, et calamos herbae nicotianae fumatorios repurgandos.

Inuentum est an. 1774. profunde sub terra in Croatia ad viam Iosephinam, dum montes Thuinenses super *Bresznicza* fluuio, inter hos decurrente, ponte lapideo in forma arcus, trophaeis, et inscriptione decorati iungerentur. Museo traditum est a Iulian. Széchényi, e Comitibus Festetics.

23) *Aliud* aeque turcicum saeculi XVI. continens pectinem argenteum, vti etiam dentiscalpium, et aciculam, cum auriscalpio.

Repertum in Comitatu Simeghiensi a defuncto Ant. Tallián *de Vizek*, S. C. et R. A. M. Consiliario, Equite aurat. Aul. Reg. Familiari, et ad l. T. R. Assess. R. referente, qui illud an. 1817. Museo consignauit.

24-25) *Lamellae* tenues ex argento, olim auro illinitae, formae orbicularis, floribus decoratae.

26-27) *Aliae* duae maiores, figurae triangularis, argenteae, ac tesselatae.

28-29) *Aliae* duae paruae argenteae, quadriformes, etiam aliquando inauratae, diademate signatae.

30-31) *Aliae* in forma quadratuli, perinde ex argento, leonibus inauratis exornatae.

32-33) *Aliae* item quadriformes argenteae, inauratis rosarum floribus micantes.

Digitized by Google

Omnes istae a num. 24 — 33. perquam tenues lamellae, probabilius reliquiae sunt phalerarum equilium, quae perinde inter fragmenta thesauri Körmendiensis repertae sunt.

34 — 43) *Aliae* argenteae decem, admodum tenues, vel ex mundo muliebri, vel ex phaleris equorum superstites, ac pro antiquis dacicis, vel hungaricis fragmentis habendae sunt.

Sunt simul effossae cum memoratis num. 20 — 23. Inauribus *Oraviczae*, et a Steph. Horváth pro Museo a Camera R. H. A. comparatae.

44) *Batillus* focalis, ex lamina aerea paratus instar cistae, cui prunae includuntur, operculo clathrum incumbit, ad positas supra illud pedum plantas calefaciendas.

Paradigma hoc ex saeculo XVII. superstes, adhuc bene conseruatum est. Mulieres Saxonicae apud Transsiluanos in templis sub concionibus pedes contra frigus ope talismodi batillorum muniuere. Michael Meszetich inde Museo attulit.

45) *Campanula* manualis, admodum sonora, ex aere, zinco, et argento conflata, cuius peripheriae inscriptum est: GEGOTEN IN IAER 1552.

Inscriptio proxime accedit ad dialectum Saxonum Transsiluaniae; protractam a piscatore ex Marusio pone Aradinum, an. 1811. Ant. Kiss. *de Ittebe* Museo largitus est.

46) *Filum* aureum instar circuli doliaris contortum, atque purissimum, triginta septem aureos adpendens.

Istud an. 1813. in Comitatu Heuesiensi Colonus And. Berta inter possessiones *Ecséd* et *Pata* reperit, ac quidem in agro siligine inseminato, cui pretium interni valoris, videlicet triginta septem aureos, Archidux Palatinus exsoluendos disposuit.

47) *Aliud* perinde ductile, purissimum in orbem conuolutum, pondere duntaxat sex aureos adaequans.

Hoc in Comitatus Neogradiensis possessione *Terény* inter arua inuentum Pavlvs Gyürky *de Losoncz* an. 1813. Musei raritatibus adiecit.

48) *Microscopium* ex argento politissime, et quam accuratissime fabricatum, constat viginti, et vno frusto; quae debito ordine composita, tubum, iniectis lentibus Muschenbröckianum efformant: asseruantur in theca, rubro corio, (*maroquin*) byssoque coloris caerulei, induta. Possessor huius olim fuit ipse Mvschenbröckivs, testante coaeua illius manu in adiecta schedula, cui pretium inscripsit: *emptum mille thalleris anno* 1729.

Aestimatissimum hoc fabricatum ex Anglia adportatum, inter thesauros Hungariae custodiendum Sereniss. Archidux Iosephvs Regni Palatinus praecepit, vt naturae scrutatorum vsibus suffragaretur.

49) *Tuba* in forma cornu flexuosi, ex lamina alba, laciniis exornata, attamen epitonium orificii, ad inflandum, desideratur.

Digitized by Google

Isthoc antiquum instrumentum musicum olim illum vsum praestitit, quem hodie Cornua aenea; *Szegedini* repertum, L. R. Ciuitatis Senatori, atque Consuli, nec non complur. II. Comitat. Tab. iud. Assessori Ios. Kis visum est, hanc saeculi XVI. antiquitatem ad Museum transferre.

50) *Cornu* tortuosum, bouinum, insolite magnum, cui epitonium eburneum argentea lamina applicitum est in orificio: inferior pars se late diffundit, circumdata argento: in cauitate interna Lehel Dux ita effigiatus habetur, quemadmodum in *Mausoleo Ducum, et Regum Hung. fol. Norimbergae* 1663. pag. 67. cum exercitu, castra metante, pingitur. Inscriptione gaudet germanica: *Lehel der XI. Herzog in hungarn.* a. 855.

Hoc diu in Praelatura Mellicensi Austriae asseruatum, et in venatione ad conuocandos canes adhibitum fuit. Probabilius artifex euentum Lehelis cum Conrado nouit, putans illud bouinum fuisse, quo Dux Imperatorem mactasse narratur. Quod fortasse verosimilius est, quam, vt credamus, parthicum illud cornu, in domo ciuica apud Jászberényienses, et a Fran. Molnár in *Notit. cornu Leelis Jászberénii asseruati. c. fig.* 8. *Viennae* 1789. adumbratum, Lehelis fuisse. Oliger. Iacobaevs in *Museo Reg. Danico* Part. II. Sect. II. num. 59. profert simile aureum, quod Danicum audit, atque num. 60. Oldenburgicum ex argento, quod venatorium dicitur. Antiquissimis temporibus videntur plura huius generis cornua pretiosa in vsu fuisse. Quidquid horum sit, non moramur. Mellicense recentis est operae, et donatum Sereniss. Archiduci Iosepho Palatino, a quo Museum accepit. Proxime illud descripsit V. Capitaneus Dist. Iazyg. et Cum. Petr. Horváth etc. Értekezés a' Kunoknak és Jászoknak eredetekrül, azoknak régi és mostani állapotjokrul. 8. Pesten 1823. p. 148.

51) *Aliud* venatorium ex grandiore concha marina cum buccina argentea, pendens ex lata ligula argentea, coloratis ex serico floribus intexta.

52) *Stragulum* equile, ex rubra caerasei coloris bysso, auro opulentissimum, et acu phrygia insigniter pictum, circumcirca immarginatum fimbriis aureis, et supra duo saecula integre conseruatum.

Tum Cornu, tum Stragulum est operis Turcici. Consiliarius Aulicus Pancrativs Sennyei anno 1601. ab Imp. et Rege Rvdolpho ad Transsiluanos missus, in via plorantem formosam puellulam Turcicam reperit. Interrogata, quid ei acciderit? respondit: se filiam esse Bassae Décsiensis, Patremque, hinc et inde oberrando, quaerere, quem, venatione occupatum in hac regione perdiderat. Sennyeivs sine mora patri in Décs consternato nunciat, eius filiam inuentam esse, et in suo hospitio commorari. Pater illico accurrit, et generosum sonipedem cum splendidissimo apparatu equili in tesseram gratitudinis Sennyeio donauit. Ab eo tempore hoc, quod adhuc ex illis donis supererat, penes familiam conseruari, et anno 1813. ad Museum transponi meruit.

53) *Ephippium* turcicum ex bysso caerasei coloris, cum duabus thecis pro sclopetis manualibus, auro admodum diues, phrygio labore exsutum, et optime conseruatum.

Pertinebat adhuc ante tumultum *Csernianum* in Seruia ad Bassam Belgradensem, qui aliorsum promotus, Praefecto supremo armorum in Schlauonia muneri illud misit. Ab hoc Comes Ant. Peiacsevich *de Veröcze*, S. C. et R. A. M. Camerar. per cambium redemit, et Museo nationali donauit. Formam huiusmodi sellarum etiam in Aegypto communem esse, docet Breton in *Aegypten* Part. II. pag. 84.

34) *Aliud* hungaricum, quale hodie equitibus Hungaris esse solet, ex ebore, figuris, et notis hieroglyphicis, labore anaglyptico tam eleganter paratum, vt veneranda

Digitized by Google

haec antiquitas non possit non animum attentum reddere. Videtur illud neutiquam sellae loco, sed duntaxat occasione festiuitatum aulicarum adhibitum fuisse, quibus scilicet sonipedes phaleratos ab agazonibus per frenum ducere, moris etiamnum in Hungaria est. Si quid in defectu irrefragabilis certitudinis probabile coniectare fas est, puto, latere in hoc opere aliquam allusionem ad desponsationem ALBERTI *Austriaci* cum ELISABETHA filia SIGISMVNDI Imp. et Regis anno 1411. Budae solenni ritu celebratam. Repetuntur enim identidem lenocinantes sibi inuicem vtriusque sexus figurae, nec aliud fere loquitur epiphonema, orthographiaque: iech lib unnd hoff, iecht hoff, unnd lib: immo ipsum in Hungaria Draconis Ordinem, an. 1408. fundatum, innuere censetur formosus, et cristata galea munitus Eques, lancea Draconem transfixurus, cuius signo Sponsum decoratum fuisse, addubitari nequit. Placet aliis singulare hoc raritatis specimen ad tempora LVDOVICI II. collocare.

Huius generis ephippia (*Prunck - Sattel*) Germanis nullo non tempore in vsu fuisse, et hodiedum in illustrium Familiarum gazophilaciis asseruari, certissimum est. Labor non vane putatur augustanus. Augustae enim Vindelicorum saeculis XIV. XV. et XVI. domicilium inuenerunt peritissimi artis pictoriae, plasticae, chalcographicae, sculptoriae, typographicae, fusoriae, et encausticae Magistri. Forma ephippii est hungarica, characteres tamen, et figurae gustum redolent theutonicum. Siue itaque ad SIGISMVNDI, et ALBERTI, siue ad LVDOVICI II. aeuum isthoc antiquitatis domesticae monimentum referatur, nihilominus arctissimum Aulae regiae Hungaricae cum Augusta domo Austriaca vinculum nunquam non intercessisse, ex hoc paradigmate nuptiali quoque intelligi potest. Protraxit illud diu occultatum e latibulis, Patriaeque rursum recuperauit Comes LVDOV. RHÉDEI *de Kis - Rhéde*.

55) *Pecten* FERDINANDI IV. Hung. et Boh. Regis testudineus, magnae formae, cuius margo incincta est lamella argentea, cum inscriptione: FERDINANDVS. IV. HVNGARIE. BOHEMIE. REX. Hoc *implicitos comebat pectine crines.* CALPVRN. Eclog. IV. v. 68.

Illustris Familia Comitum a MIGAZZI aestimatissimum hoc saeculi XVII. paradigma ex sua penu ad Museum nationale Hungaricum transposuit. BRETON in *Descriptione Russiae* Tomulo II. pag. 83. perhibet, Moscuae in Cimelio Caesareo asseruari pectinem eburneum, quo Czari barbas pectebant.

56) *Mnemosynon* Deae *Fortunae* sacrum, ex purissimo auro, eleganti opere efformatum, quod in aureo annulo pendet. Dea encausto albo delicatissime plasmata, insistit globulo aureo nuda, veloque volante tecta, intra eiusdem metalli fornicem, columnis aeque aureis succollatum. Laciniae tribus quadriformibus rubinis, totidem smaragdis, ac quatuor vnionibus orientalibus ornantur.

Paradigma hoc, fortasse in alicuius prosperi euentus memoriam procusum, supra saeculum XV. non assurgere labor indicat. Protractum e sepulchro in *Ikervár*, Comitatus Castriferrei oppido, vidua Comitis Ios. a BATTHYÁN, nata SKERLECZ Museo dicauit.

57) *Hecatombe* pressati (vt aiunt *gepresste Arbeit*) operis, ex lamina aerea, praeterito fortassis saeculo formatum, ad altitudinem octo digitorum, in aduersa parte cauum, suo profecto non caret nitore. Amor nudus stola praecinctus, Vestalem amplexatur virginem. Haec toga ad talos amicta, aperto vbere sinistro, protensa laeua manu Coronam lauream ostendit, atque dextra facem tenens, foco admouet, ne ignis extinquatur, indicatura, quod nullis lenociniis se capi patiatur, sed officio vltro defungi velit.

Digitized by Google

Vestalibus incubuisse, nunquam admittendi, vt ignis extinquatur, obligationem sub grauissima poena: ex Mythologia cognitum est. Pluribus de his disserit Io. Petr. Millervs in *Chrestomathia Ouidiana* ad vocem *Vestalis*. Schema istud recens ex Bosnia ad Museum missum est an. 1820. ab Episcopo Dauliensi Avgvst. Milletich..

58) *Cothurnus* hungaricus ex flauo corio, subductus albo serico, sine soleis.

59) *Calceus* hungaricus (*Topánka* vocant) ex rubro perinde corio, soleis ferreis munitus.

60) *Crepida* muliebris ex eodem corio consuta, ac ferro soleata.

Quum tria haec frusta, quantumuis vilia, superiorum temporum consuetudinem, parsimoniam que Hungarorum in quotidiano habitu adperte contestatura, inter reliquias strenui Herois Steph. Kohary in oppido *Szent Antal* detecta, Kvltsárivs in *Hazai és külföldi Tudósitások* mense Iulio an. 1812. Num. 8. pag. 59. annunciaret, placuit aristarchis rem risu excipere, ignaris scilicet ad Museum nationale etiam crepundias, si domesticae sint, recipiendas esse. Sed indulgendum est sciolis, qui nec domi, nec foris Musea vnquam viderunt, et occurrendum exemplo Lvciani Syri, qui fictilem Epicteti *Lucernam*, ad quam legit, et scripsit, tribus drachmarum millibus venisse tradit; item testimonio Musei Oxoniensis, in quo Annae Bvllenae *pileum* ex Stramine contextum diligenter custodiri testatur Henr. Lvdolf. Benthem in *Engeländisch. Kirch. und Schulen-Staat* Cap. XXII. pag. 330.; exemplo praeterea Danorum, qui perhibente Oliger. Iacobaeo in *Museo Regio Danico* Part. II. Sect. II. num. 80. *calceos* Grönlandorum ex piloso Phocarum corio in modum soleae efformatos, conspiciendos exhibent; aut vero Russorum, qui, teste Bretonio in *Descriptione Russiae* Tomul. IV. pag. 19. Moscuae in Cimelio Caesareo Petri M. *ocreas* acutis clauis ferreis armatas asseruant. In *Taubmannianis* pag. 161. autem legi, in Cimelio Studtgardiensi ostendi *ephippium*, quod Frid. Tavbmannvs Poeta Aulicus, et P. P. Wittenberg. impleri curauit pilis, quos ex barbis Principum, Ducum, Aulicorum, Doctorum, Consiliariorum, etc. collegit, illudque Electori Saxoniae Christiano II. donauit. Quid ergo gratam prohibet Hungariam inuictissimi Herois *cothurnum* cum *crepida* Coniugis posteritati seruare, quum digniora illius publico nationali Gazophylacio denegantur schemata? Quis, quantusque olim fuerit Stephanvs Kohary intellige ex Fran. Kazy *posthuma Memoria Res pace belloque gestas D. C. Steph. Kohary Cur. Reg. Iudicis, etc. breuiter complexa.* 12. *Tyrnau.* 1732.

61) *Horologium* astronomicum maius in altitudine vnius pedis geometrici, et quatuor pollicum; structura interna calybea, multis perticis, rotulis, et catenulis complicata, eminens, ad formam quadrangularis turris ex argento, et cupro constructum, opulente auro illinitum, operculo clathrato tectum, quatuor testudinibus insistens, pendente aquila ex perpendiculo, horas impellente, altero phases lunae commonstrante. Super tecti ex vasi flores argentei protruduntur. Tabulae laterales chartas geographicas, dextra scilicet totius orbis, sinistra ditiones Hungaricas, iisdem vicinas Prouincias, et Regna, opere anaglypho affabre caelatas, exhibent: anterior horographica, posterior ephemeridalis est. Annus, et nomen Artificis Gerhardi Emmoser, Augustani Horopegi, 1566. in posteriori legitur, qui isthoc artificiosum paradigma ad vsus Maximiliani II. Imp. et Regis Hung. ac Boh. parare iussus est.

Fridericvs Ziegler, defunctus Ciuis, et famigeratus Pesthini Horopegus, qui illud reparandum suscepit, eius descriptionem an. 1807. in haec verba adornauit: „ Dieses alte Kunstwerk muss von denen „ Kennern keinesweges als ein in ganzen Verstand genommene astronomische Uhr betrachtet werden: in„ deme es dem Jahrhundert des Künstlers noch nicht vorbehalten ware in diesem Fache vollkommene „ Arbeiten zu lieferen. Dass aber dieser Künstler vielleicht durch dieses Werk die Bahne gebrochen,

Digitized by Google

„ auf der wir, als seine nachkommende, schönere Vorschritte gemacht haben, in den neueren Zeiten im-
„ mer mehrere, und grössere machen, allerdings unsere innigste Verehrung, und Hochachtung, und
„ hieran der Grund einer freywillig übernommener Reparatur liegt, und dem Namen dieses Künstlers,
„ und seiner Werke, der Nachwelt vielleicht noch einige Jahrhunderte erhalten, und dem Lande, in
„ dem ich lebe, zu zeigen, wie gern ich meine wenige Kenntnisse für dasselbe anzustrengen bereit bin.

„ Eine astronomische Uhr unserer Zeiten muss wenigstens sechs Monathe gehen, ohne aufge-
„ zogen zu werden, und mit einen englischen Pendulo versehen seyn. Diese Uhr aber geht nicht länger,
„ als drey Täge, ohne aufzuziehen, und wird durch Federn getrieben. Ihr ausseres stellt vor einen vier-
„ eckigen Kirchthurm mit seinen Zifferblättern. Auf der vorderen Seite zeigt sie die Stund, und Viertl
„ mit den Werken auf zwey kleinen Zifferblättern. In der Mitte befindet sich ein grosser Zifferring mit
„ zweymall zwölf Stunden."

„ Innerhalb dieses Zifferrings befinden sich eine Scheibe, auf welcher der Nordpol nebst dem
„ Aequator seinem Meridianen, und Graden angezeigt ist. Ueber diese Scheibe geht eine andere, auf wel-
„ cher der ganze Thierkreis nebst dem vielleicht damals bekanntesten Fixsternen sich befindet. Ueber
„ diese Scheibe erhebt sicht eine eclyptische Scheibe als Sonnenzeiger, welcher angiebt, wie die Sonne
„ ihrem Lauf durch dem Thierkreis vollendet. Ueber diese eclyptische Scheibe erhebt sich ein zwey-
„ ter artiger Zeiger, der die Stunden auf der haupt Zeigertafel anzeigt, und an diesen Ende sich eine
„ Kugel befindet halbblau, halb-gold, welche sich bewegt, und alle Monat auch den Lauf des Mondes
„ ab und anfnehmet.

„ Auf der anderen Seite befindet sich ein Kalender, auf welchem alle dazumallige Kirchen-
„ Feyertäge, ja, so gar die Namen der Sonntäge gravirt sind, nebst den Sonntags Buchstaben. Die ge-
„ meinen Täge sind bloss durch Linien angezeigt. In der Mitte dieses Kalenders befindet sich eine Blatte
„ auf welcher die goldene Zahl sich befindet, welche in diesen Jahre die IV. ist, der Mondzeiger ist III.
„ der Sonnenzirkel XXV. der Sonntags-Buchstabe C. B. der Römer Zins-Zahl XIV. Alles dieses wird
„ durch die Zeiger richtig angedeutet. Der Kasten steht auf vier fein vergoldeten Schildkrotten von
„ Bronze. Pest den 17. August 1807. *Friedrich Ziegler m. p.* bürgerlicher Uhrmacher." Pretiosum hoc antiquitatis a saeculo XVI. monumentum a temporibus Maximiliani II. Imp. et Reg. Viennae in Aula Caesareo-Regia vsque aetatem Francisci I. Roman. Imp. conseruatum fuit, qui illud Conferentiarum Ministro, et Campi Mareschallo Principi Carolo a Batthyán donauit, a quo iure successionis ad eius nepotem Generalem Campi Mareschalli Locumtenentem, Comitem Philippvm a Batthyán peruenit, post huius mortem fratri carnali, Principi, Cardinali, Primati, et Archiepiscopo Strigoniensi Iosepho e Comitibus a Batthyán obtigit. Cum huius autem obitu in auctione publica Posonii triginta sex Rhenensibus emit denatus Episcopus, et Canonicus Strigoniensis, Ignativs Baernkopf. Hic in perennem sui memoriam Museo reliquit.

62) *Aliud* maius simplici methodo, attamen artificiose, et accurate, quod ab Astronomis *Regulator* nuncupari solet, constructum ad formam illius, quod Lutetiae Parisiorum in Museo Regio celebratur.

Celebris Regiae Speculae astronomicae Budensis Praefectus Ioannes Pasqvich, instituto admodum rigoroso noui Operis examine, illud breuiter adumbrauit: „ Eine Jahruhr, die nämlich nur einmal
„ in einem ganzen Jahre aufgezogen wird. Bey seiner sehr einfachen, und soliden Bauart zeigt sie die
„ Stunden, Minuten, Secunden, und Monatstäge nach einen so genanten *regulären Datum*, dass sich am
„ Ende jedes Monathes, und in einem Schaltjahre von selbst einrichtet. Ein Compensations-Pendul neu-
„ er Bauart regulirt ihren Gang wegen der Wärme, und Kälte, und der daran angebrachte Zeiger,
„ gleichsam ein Thermometer, macht die Regulierung sichtbar. Sie ist einige Zeit auf der Sternwarte
„ geprüft, und dabey von einer so regelmässiger Länge befunden worden, dass man sie zum Muster der
„ feinesten Probieruhren aufstellen darf. „ Artifex operis Ios. Ravschmann Budae natus est, terminato Pestini tyrocinio, experientiae caussa, Hungaria in exteras regiones profecturus, per Germaniam delapsus est in Galliam, in qua Lutetias Parisiorum commorationis locum per triennium sibi delegit, ibique frequentius adeundo Museum Napoleonis, Horologium illic positum diligenter inspexit, examinauit et delineauit. — Concepta plena illius idea, ad Patriam redux, in natali solo consedit, mox Horo-

Digitized by Google

pegorum coetui adscriptus, hocce paradigma 1812. ad formam exemplaris Parisini ex calybe hungarico fecit. Serenissimus Archidux Iosephvs regni Palatinus istud nationale fabricatum, ne foras eaeheretur, ex fundo Musei redimendum decreuit, ipse vero Artifex ex zelo patriotico, non plus, quam proprias sexcentorum florenorum expensas sibi pro eo refundi petiit, cui Director Musei suo aere concinnum scrinium, persolutis pro illo tercentis florenis, fieri curauit. Insigne hoc schema eum nunc praestat vsum, quod iuxta illud totius Vrbis Horologia dirigi possint, quin solare adhiberi sit necessum.

63) *Aliud* mensale, quod ad duas contignationes eleuatum est, scrinio nigri coloris, decorationibus ex aere inaurato fabricatis, gaudet. Cista inferior quadriformis aquam recipit. Huic incumbit scrinium aeque quadratum, cum quinque tabulis orbicularibus laboris encaustici. In medio maxima deseruit attrahendo Horologio. Index dies ostendit. Hanc ex vtroque latere duae minores stipant, superior a dextris cursum accelerat, a sinistris retardat, inferior dextra excitat, sinistra lumen succendit. Altera contignatio tabulam magnam rotundam cum elatere, et nomine artificis: *Emericus Komlóssy fecit Pesthini anno* 1810. continet, horasque ostendentem; ex vtroque latere duo vasa albo colore, et auro tincta ornamentum addunt.

Hoc quoque non contemnendum est horopegi Hungari specimen, quod post praematurum artificis obitum carnalis, et vterinus frater Ant. Komlóssy L. R. Ciuit. Pestiensis Senator anno 1814. in Museo nationali deposuit.

64) *Aliud* aereum hodeporicum, olim inauratum, octo digitos altum, formae rotundae, in apice annulo instructum, vt clauo adpendi possit, caelatum figuris cum expressione gallica: *la Charité*, *Esperance*, *Foi*, *Providence*, *Temperance*, *Iustice*, *Force.*

Labor adperte docet istud specialis structurae horologium prodiuisse ex aliqua saeculi XV. fabrica gallica. Diu latuit in Transsiluania, quin sciatur, quomodo illuc delapsum sit. Mich. Meszetics, Albae Carolinae repertum, Museo conseruandum tradidit.

65) *Aliud* eburneum (vt aiunt) saccale, cuius rotulae internae, acus, tota denique machina Horologii, excepto elatere, ex ebore delicatissime fabricata est.

Teste Oliger. Iacobaeo, Museum regium Danicum possidet Horologium ex ebore mensale. At saccale longe pretiosius, maiorisque artificii esse, nemo non assequitur. Sereniss. Archidux Iosephvs Palatinus an. 1815. isto Museum locupletare dignatus est.

66) *Aliud* solare, ac lunare ad vsum astronomicum, forma orbiculari, ex aere, auro olim illinito, pro peregre comeantibus affabre praeparatum. Constat autem duabus tabulis caelatis, in quibus duodecim horae repetuntur, meridionalis linea, menses, dies, ortus, et occasus Solis indicantur, duntaxat acus magnetica desideratur. Artifex nomen, et locum insculpsit: Georg. Merthen *Styrae.*

Fabricatum istud ad reliquias saeculi XVII. pertinet. Probabilius aliquis militaris Praefectus illo vtebatur sub expugnatione arcis et vrbis Alba Regalensis. Repertum enim est ad lacum *Sós-tó* dictum. Fran. Vörös *de Farád* Museo cessit. Paucis sumtibus facile reparari potest.

67) *Acus* nautica ex ebore caelata, instructa duabus argenteis olim tabulis astronomicis ad vsum naualem in mari. Etiam reparatione indiget.

Digitized by Google

Opus est sacculi XVII. sed destructum, quod ex Portus Buccarensis Domo teloniali nuper Ioan. Latinovics *de Borsód et Katymár*, I. Ord. S. Steph. R. A. Eques, S. C. et R. A. M. ad Exc. C. R. L. H. Consiliarius, et Cancellariae Director Museo intulit.

68) *Clauis* maioris formae ex porta antiquae arcis Osdgyániensis, nuper inter rudera reperta.

Sub medium Saec. XV. pertinebat ad *Paul. Bakos*, quem an. 1457. Bvdai *Magy. Orsz. Hist. Lekszikon* Tom. I. pag. 91. Capitaneum arcis Tokay fuisse perhibet. Clauim hanc Museo Petrvs de Kvbin procurauit.

69) *Alia* perinde ferrea maioris moduli, cuius manubrium in vncum desinit.

Reperta est in Buda Örs, rubigine nimiopere obducta, an. 1820. inter vineas, et a Sim. Paver Ioci incola, Museo data.

§. XIV.

Signa Ordinum, Confraternitatum, etc.

1) *Parmula* elegans aurea, formae octogonae, parte antica S. Franciscvm *Seraphicum*, postica S. Antonivm *de Padua* referens, ac ex annulo aeque aureo exiguo pendens. Scutulum hoc antiquum vix duos ponderans aureos circumcirca laciniis aureis, delicatissime reticulatis, immarginatum est.

Insigne hoc antiquitatis Hungaricae exemplar inuentum est inter rudera olim Abbatiae *S. Martini de Bulch* pone castrum *Solymos*, et sub Comitiis Regni Posoniensibus an. 1812. Archiduci Iosepho, Palatino pro Cimeliotheca Musei nationalis oblatum. Signum est Confraternitatis S. Antonii, quam olim in Hungaria a Fratribus Ord. min. strict. obseru. S. Franc. Seraph. iam saeculo XIV. institutam fuisse, et in pluribus locis viguisse, prolixe docet Szvorényivs in *Hist. eccles. Regni Hung. Amoenitat.* Fasciculo VI. num. III. pag. 204. et seqq.

2) *Alia* pretiosa, Signum scilicet exhibens Ordinis Equitum S. Georgii. Aureae tabellae Diuus Martyr encaustico opere caelatus, sonipedi candido, lorica indutus, et galea tectus, insidet, gladiumque vibrat contra Draconem, pedibus equi conculcatum, perquam affabre nouem rubinis, quatuor smaragdis, et totidem vnionibus exornatus.

Isthoc signum neutiquam habendum est pro parmula Ordinis S. Georgii condam in Hungaria, regnante Carolo I. florentis, cuius Statuta in *Actor. literarior. Mus. National. Hung.* Tom. I. pag. 153. ab obliuione vindicauimus, sed fortasse Burgundiae, qui an. 1390. surrexit, at saeculo XVI. exspirauit. Huic Ordini propriam fuisse hanc S. Georgii effigiem de collo ex caerulea ligula pendentem, Heraldicis ignotum non est. Labor aperte saeculum XIV. loquitur, tam subtiliter effictus, vt elegantia ope duntaxat microscopii obseruari queat. Museum hanc antiquitatem cambio viginti aureorum propter singulare artificium procurauit.

Digitized by Google

3) *Alia* aurea, oualis formae, in cuius medio cor lauro incinctum literas refert VMT. fortassis *Viuat Maria Theresia*, inferius contractas literas FS. *Franciscus Stephanus*. Peripheriam in antica parte ambit epigraphe: HVNGARIE ET BO. REX VITA NOS: ET NEX. in postica: IVSTITIA. ET. CLEMENTIA. Parmula pendet ex Corona argentea cum Cruce, auro tincta.

Si Seelmanni *Vitéz Rendeknek Tüköre* II. Rész pag. 88. audias, Austriaci Ordines Equestres, aut signum Crucis, aut orbicularis formae numisma referunt; istud nec forma nec inscriptione alicui eorum, qui ibidem recitantur, affine est. Austriacum tamen signum esse, nequit dubitari. Sed fortasse a priuato aliquo distributum est Praefectis militaribus, qui an. 1741. testante epiphonemate, Augustissimae Reginae, periculis maximis obnoxiae, vitam, et sanguinem addixerunt, Coniuge eius nondum ad imperiale Solium euecto. Secus enim ad nomen Franciscvs Stephanvs additum fuisset I. *Imperator*, et I. *primus*. Sed haec salua certiore aliorum de hoc perraro Signo notitia dicta sunto interea, donec verissima edocti fuerimus. Museum tribus aureis redimere censuit dignissimum.

4) *Alia* ornata signo alicuius Confraternitatis. Cor quippe aureum rubino maiusculo in medio parmulae micans, et circa marginem quindecim minoribus circumuallatum, incumbit duabus sagittis, decussatim positis, quarum anguli rubino splendent, decoratum denique parergis, ex ansula pendet.

Ob elegantiam, qua hoc antiquitatis exemplar praeditum est, et vt ex labore adparet, probabilius saeculi XVI. Museum cambio sibi proprium fecit.

5) *Tessera*, siue Clauis Camerariorum Caesareo-Regiorum ex metallo aurato, cuius apici incumbit biceps aquila, coronata, Caesarea, laciniis incincta, in pectore petula I. II. conferentem Iosephvm II. denotat.

Hanc olim gestabat Ioan. Bonaventvra Szentiványi *de Eadem*, ad Excels. Consilium Reg. Locumtenen. Hungaric. Consiliarius; post eius fata ad Museum nationale reposita est.

6) *Tessera* Aulae Regiae Familiarium. Duae scilicet ex metallo perticae, quarum vna fuscinulae, altera cultri aptissime vices supplet, quibus incumbit nomen Fundatricis M. T. *Mariae Theresiae*, contectum Corona apostolica, a duobus Angelis sustentata, auro illinitis, vti etiam caetera.

Fuit olim proprium Consiliarii C. R. Fran. Rhédei *de Kis-Rhéde*, nunc in Museo nationali asseruatur. De hoc Instituto extat Sam. Kiszely *de Benedekfalva, Disquisitio de Aul. Reg. Familiaribus.* 8. *Posonii* 1813.

§. XV.

Monumenta sacra, et religiosa.

1) *Turris*, vnum pedem alta, ex filis argenteis, plurima cum industria ita complicata, vt in supremitate inter duos globulos vexillum expansum ex lamella argentea volitare, tria vero in parte inferiore ex totidem perticis minora pendere videan-

Digitized by Google

tur. In medio portula conspicitur, quae reliquias Sanctorum olim, intus contentas, recludebat. Basis, cui insistit, eiusdem est operae ex filis argenteis.

Obtigit Museo ex dono IVLIANAE SEMBERY, Coniugis Protonotarii Palatinalis LAD. SZENTKIRÁLYI. Putatur haec turris V. T. vasis accensenda: attamen fide digne constat, talismodi fabricata complura Romae existere, et in iis reliquias Sanctorum conseruari.

2) *Rosarium* ex lapide calcareo rosacei coloris, cuius Corollae maiores fibrillis argenteis distinquuntur.

Anno 1789. post expugnatum Belgradum inter ruinas conflagratae in aquatica Ciuitate domus integre repertum, Confiniarius miles Episcopo condam Alba Regalensi NIC. MILASSIN xenio dedit, iste vero raritatis caussa ad Museum nationale deferendum ordinauit.

3) *Truncus* ligneus, in altitudine vnius fere pedis, rotundus, in quatuor partes diffissus, extusque exiguis vncis ferreis ita confibulatus, vt vnum frustum constituere putetur. Ad aperturam vero complures sese oculis obiiciunt sacrae, scalpello affabre, non sine fatigio, excisae, et ex Legendis Sanctorum desumtae, icones, textibus additis sacrarum Literarum, ad pias Monachorum meditationes accommodatis.

Hocce monasticae solitudinis specimen, scalpello sculptum est a Carthusiano aboliti Coenobii in monte *Zobor*, et in auctione publica comparatum a STEPH. MARCZIBÁNYI *de Puchó*, cuius successoribus Museo cedere visum est.

4) *Amuletum* argenteum orbiculare, maioris moduli, pendens ex breui eiusdem metalli catenula, cuius operculo extus inscriptae sunt literae: I. H. S. Ipsi capsae vero extus: MA. Eidem capsae intus incisum est scutum gentilitium Equitis, sed vetustate adeo iam attritum, vt tesserae distinqui nequeant. In operculo autem intus legitur characteribus germanicis; *Ich Ritter Friderich von Greiffenstain hab mir gehollt das hallige Bain zu Ierusalem. bin gewalfart*, *Armando hat bezallt* 1362.

Si inscriptionem attendas, videtur olim in hac capsa aliquod ossiculum cuiusdam Sancti comprehensum fuisse. VINCENT. L. B. a LAFFERT S. C. et R. A. M. Camerarius hoc saeculi XIV. monumentum Museo nationali neutiquam indignum esse censuit.

5) *Aliud* antiquum graecanicum ex aere, constans tribus quadratis tabellis, quae componi possunt. Media exhibet Saluatorem sedentem, adstantibus Maria, et Ioanne: aliae Sanctos Ecclesiae Orientalis caelatos cum inscriptionibus russicis continent. Extus operculo incisa est vrbs Hierosolyma, in bifariam diuisa per praealtam Crucem.

Labor parum politus commonstrat illud in Russia fabricatum esse, vbi hodiedum talismodi amuleta in vsu sunt, et remedia putantur esse adversus maleficia. Graeci φυλακτηριον vocant. Museo ignotus Graecus Sacerdos dedit.

6) *Crux* exigua, rudis operis, ex subere petreficato.

Inuentam sub terra in agris Mohácsiensibus Postae Magister Ios. MYCZINA ad Museum misit.

Digitized by Google

7) *Alia* ex petreficato lythantrace, inter schistos ad Parád inuento, insistens eiusdem ligni basi, nigredine ad hebenum fere accedit.

Fatis functus Lad. L. B. Orczy *de Eadem*, condam S. C. et R. A. M. act. int. Stat. Consil. Camerar. et Excel. Cam. R. Hung. Aul. Vice-Praeses hanc fieri curauit, et Archiduci Iosepho Palatino obtulit.

8) *Alia* argentea abbatialis, olim auro tincta, angulis liliatis, Saluatorem ligno affixum exhibens, intus vacua pro conseruandis Sanctorum Lipsanis, addita ansula pro ligula, ope cuius Crux ad pectus defluebat.

9) *Alia* priori simillima.

10) *Alia* parua aeque argentea, et condam deaurata, referens Saluatorem de cruce pendentem cum literis I. N. R. I.

Tres istae Cruces saeculi XIV. repertae sunt *Körmendini* cum caeteris illic reperti thesauri reliquiis, suo loco huic Catalogo insertis, et a Principe Philip. Batthyán-Strattmann Musco donatis.

11) *Alia* duos pedes alta ex ligno sculpta, cum Saluatoris effigie.

Nihil speciale ostendit, nisi quod ab Hungaro Agriensi Ignat. Anzenhoffer artem sculptoriam nunquam docto, Crucifixus iste effigiatus sit, non quidem manu Praxitelis, haud tamen impolite. Ios. Krüchten Caussar. F. V. iurat. Aduocatus hoc naturalis industriae paradigma ad Museum in artificis memoriam reposuit.

12) *Instrumentum* ferreum, instar forcipis, perquam antiquum pro pinsendis ad aram (vt aiunt) Oblatis, in Ecclesia vsitatis. Instrumentum ab iis, quae hodie vsurpantur, vix differre obseruatur. Hostiarum autem quatuor sunt typi, maiores duo, minores totidem. Vna maiorum triplici limbo incingitur, inter quos Saluator de Cruce pendet, adstantibus Maria, et Ioanne, rudissimo opere effictis: alteram duo ambiunt limbi, intra quos Christus, e sepulchro resurgens, additis literis I. N. R. I. admodum informiter repraesentatur, micantibus super capite tribus stellulis, perinde negligenter incisis. Vnam minorem (fortasse pro communicantibus) limbo punctato circumdatam, qui Christum coram Calice consistentem recipit, sed omnino imperita manu formatum: altera minor inter limbum punctatum includit superius, et inferius duabus stellulis inter ceptas literas tttt.

Vidua Baronis Gab. Prónay *de Tóth Próna*, nata Podmaniczky, antiquitate hac ecclesiastica, inter ruinas vetustissimi Templi reperta, Museum locupletauit, quam ex informitate quatuor literarum nonnulli ad saeculum XII. referendam arguunt. Sed quid sub his intelligendum? Oedipo opus est. Annum designari, non mihi persuadeo. Quis enim credat solummodo annum sine vlla religiosa nota in Hostia expressam fuisse? Si tres duntaxat essent literae; existimarem, significari hodiernum Hostiarum symbolum: *Iesus Homo Saluator*, sed quia quatuor sunt, auslm interpretari, *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*. Hanc profani hominis coniecturam, rerum ecclesiasticarum peritis examinandam relinquimus.

13) *Mause lum* in altitudine septem pollicum, in latitudine vnius pedis, conglutinatum est ex ossibus. Constat autem ex nouem gothici laboris columnis, quarum

Digitized by Google

duae angulares repraesentant turres, fenestris, et ianuis clausis instructas, in medio aeque turris cum fenestra ad formam arcus constructa conspicitur, sub porta Virgo consistit. Haec incingitur in dextra parte tribus, in sinistra quoque totidem columnis. Sub qualibet earum Virgo stat, haec istud, illa aliud instrumentum manu tenet. Cuique columnae triangularis arcus incumbit. Lorica, quae in longitudine supra has nouem columnas protenditur, duorum ordines liliorum ostendit. Lacinias, et parerga condam auro illinita fuisse, vestigia commonefaciunt.

Monumentum hoc, omnino rarum, nonnulli ob Lilia, quae regnantis Stirpis Andegauensis gentilitia sunt, ad saeculum XIV. reiiciendum putant. Sed enim VITRVVIVS *de Architectura. fol. Amstelod.* 1649. iam sua aetate Lilia ad ornamenta corinthiaca aedificiorum retulit. Esse hoc Mausoleum B. MARGARETHAE Virgini iam saeculo XIII. dicatum, et paratum confirmare, haud magnae esset difficultatis, si prolixior esse cuperem. Erat quippe illud in Insula tamdiu conseruatum, donec, cum excidio Coenobii, Virgines aliorsum commigrare cogerentur. Anno 1714. rursus Budam redeuntes, illud secum retulerunt. Verum extincto Monasterio monialium a S. Clara, an. 1785. auctioni publicae expositum, STEPH. MARCZIBÁNYI *de Puchó* redemit, cuius haeredes tutiorem ei locum in Museo nationali assignarunt.

14) *Templum* S. Stephani Protomartyris Vindobonense ex spuma marina tam artificiose compositum, et caelatum, vt non modo ipsius architecturae forma exterior cum turri, horologio, fenestris, statuis, columnis, omnibus denique ornamentis iucundum exhibeat conspectum, sed etiam Sanctuarium cum ara maiore per ianuam Templi, e regione positam, inspicienti, insigniter effigiatum, se videndum praebeat.

Fabricatum hoc est hungaricum, quod etiam profluxit a dexteritate illius artificis, qui §. *IX. num.* 32. memoratur. Istud tanto studio intra triennium elaborauit, vt isthoc productum sculpturae peritissimos in admirationem rapiat. Praeparatum fuit an 1804. sumtibus Ciuis Pestiensis VIRIO, post cuius obitum de manu in manum vagabatur, donicum STEPH. HORVÁTH ei perennem locum suo aere in Museo nationali tribueret.

15) *Sacellum*, instructum porta, et fenestris, architecturam saeculi XIII. redolens, quod tecto caret, sed superficie plana gaudet, cui Crux imposita est, ex qua Christus Saluator demittitur, et ad sepulchrum deportatur, ex spuma marina dexterrime sculptum.

Istud exemplar, quod perinde ex fabrica sutoris BRANDMÜLLER prodiit, pro ectypo habendum est Sacelli, olim Viennae intra aream Templi Stephanei, a dextris positi. Crux, caeteraeque figurae nunquam non Sculptorum, Plasmatorum, et Pictorum peritiorum attentionem adeo excitarunt, vt nec Celeberrimus RVBENS suo penicillo indignum existimaret; nuper vero MICH. HESS, Hungarum Agriensem nunc in Caes. Reg. militari Academia Vindobonensi Graphidis Professorem non piguit, manu sua idem aeri incidere. Plasma Brandmüllerianum quoque omnium calculo probatur. Hoc quoque STEPH. HORVÁTH cum caeteris eiusdem artificis fabricatis ad Museum reposuit.

16) *Altare* pretiosum, portatile, quod pondere aequat centum nonaginta sex semuncias. Baldachinum, vel thronus, Corona tectus, auro copioso micat, laciniae tercentis sex diuersae magnitudinis amethystis fulgent, ex lorica Coronae praeter amethystos etiam duo saphyri, et totidem topasii orientales pendent, medium arae occupat margarita, in magnitudine vicenarii, ex pluribus minoribus vnionibus ita concreta, vt eminus natura effigiem Virginis Deiparae formasse putetur. Haec quoque aureo circulo inglomerata est, et infra

Digitized by Google

eandem flectunt Apostoli Petrus, ac Paulus, ex fuso argento efficti, in perquam eleganti tabernaculo testudineo, armillis argenteis, auro tinctis, firmato, quod laeuigatum grandem topasium Bohemicum includit.

Huius generis Altaria portatilia, vel viatica olim in vsu fuisse, immo hodie adhuc in vtraque Ecclesia vsurpari, notius est, quam vt exemplis demonstrare oporteat. Graeci *ἀντιμηνσια* i. e. *mensalia vicaria*, dixere, ad celebrandam Missam, aliaque Sacra facienda, de quibus Dvfresne in *Glossar. ad Scriptor. med. et inf. Latinit.* Tom. I. pag. 350. disserit. Istam pretiosam saeculi XIV. antiquitatem Officiolatus Museo erga Collectam procurauit, conferentibus liberalissime symbolas Celsiss. Principe, R. Hung. Primate, Archiepisc. Strigon. Alexand. de Rvdna, denato Principe Ern. *de* Schwarzenberg, Episcopo Iaurin. Excellentiss. Praesulibus Lad. Köszeghy Csanádien. Ios. Klvch Nitrien. Ignat. L. B, Szepessy, Transsiluan. Illustriss. ac RR. Episcopis, Petr. Klobvsiczky Szathmárien. Ios. Vvrvm Alba-Regalen. Lad. e Comitib. Csáky; Canon. Ioan. Matizovich, item Excell. Nic. L. B. Vécsey Sup. Comite Szathmárien. Steph. Mariásy Ord. V. Comite Gömörien. Nic. Radvánvi compl. Comitat. T. I. Assessore, aliisque praeclaris Patriae Ciuibus, vt pretium bis mille quingentorum florenorum exsolui potuerit.

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Arma antiqua varii generis, et Formae.

§. I.

Vexilla, Tympana, et Scuta.

1. *Vexillum* holosericum Georgii II. Rákóczy, Transsiluaniae Principis, quod pro more illius temporis in solennitate pompae funebralis, tumbae praeferebatur. Diu ex choro Ecclesiae Parochialis in oppido Sáros-Patak pendebat, parte aliqua, seu per negligentiam, seu per vetustatem consumtum est: attamen Scutum gentilitium cum Inscriptionibus super serico rubro, auro pictis, in sua integritate adhuc conspicitur.

Istud Vexillum defunctus Ex. Camerae R. H. A. Consiliarius Dellevavx an. 1807. pro Museo *Patakino* attulit. Inscriptiones, ab Ant. Szirmay in *Notit. topograph. polit. I. Comitat. Zemplin.* pag. 206. et seqq. vulgatas, ex autographo huc transcribendas duximus:

In parte Vexilli antica.

„ Iehouae Vexillo suo

„ D. T. O. M.

„ et

„ Memoriae Aeternae Sacrum

„ Fortis Creatus Fortibus.

„ Celsiss. Georgivs Rákóczy II. Dei Gratia Transiluaniae Princeps, Part. R. Hungariae Do-
„ minus, et Sic. Comes, Principum Nepos, Filius, Pater, Verae Religionis Cultor Constantissimus, Con-

Digitized by Google

„ fess. Auitae Columna, etiam spe Regni tentata, sed immota Libertatis Christiano-Hungaricae Assertor „ ardentissimus, Populorum suorum, tametsi parte heu! inuitorum, ingratorum, ad vltimum prudentiae „ Defensor strenuus, Regum Socius firmissimus, Sociorum Principum oppressorum non semel, nec id suo „ sine damno, fidus in Thronum Restitutor, qui Regiam Coniugem Celsissimam SOPHIAM BÁTHORY, Illustriss. „ Gnatum vnicum FRANCISCVM, Sanguinem suum Christiano nomini posthabuit. Heros magnanimus, tan- „ tum non ad excessum. Quem Orbis Timor Turca semper timuit, nunquam terruit, nedum domuit, „ et si semel superauit, permittente fato, Genti infenso, quam diu viuit (hei superstitibus, iam enim „ mortuum breui non lugebunt, sed plangent serio, tametsi sero, Posteri, Maioribus saniores, si veri „ Hungari) vita ipsa, quam vel vnico terrae gentilitiae pede cedere malens, inter medias Barbarorum, „ regni Christiani inuasorum (Proh Hominum fidem a suis contra se irritatorum, inuitatorum, introuo- „ catorum) gladio suo fatali aceruatim mactatorum cumulos primum laethaliter sau- „ ciatus, demum VI. Iunii anno V. F. 1660 aetatis XXXIX. mens. 4. in Arce Vara- „ dina, Claui Hungarorum, a se sanctissime conseruata pro Patria occubuit gloriosus, „ resurrecturus gloriosior, regnaturus gloriosissimus.

Insignia Rákócziana picta.

In postica.

„ Hic est is Princeps, quo non animosior alter,
„ Hic iacet Hungarico natus in axe Leo.
„ Moldauiae Domitor, Valachorum fulmen, et horror,
„ Patronus pressi portus, et ara Gregis.
„ Quis sit, quaeris adhuc? est nempe *Georgius* ille
„ *Rákóczy* Patris nomina magna gerens.
„ Transyluanorum, Siculorum, Duxque, Comesque,
„ Grandis natalis splendor, honosque Globi.
„ Cuius in illustri cerebro doctrina resedit,
„ Os, cuius poterat cum Cicerone loqui.
„ Cuius et auspiciis ad Lippam Turca cruentus
„ Concidit, Hectoream gnarus adesse manum.
„ Hinc fremuit rabido Turcarum murmure Caesar,
„ Mox et Pannoniam sanguine foedat humum.
„ Non tulit hoc ardens Princeps fortissimus Heros,
„ Ad Gyalu pugnam triplicat ergo grauem,
„ Quid sternit, perimit, furibundos deiicit hostes,
„ Ipse suo tandem vertice vulnus habet.
„ Saucius ex toto Varadinam fertur in arcem
„ Corpore, mente suum, laetus, obitque diem.
„ Magnanimo cecidit cum Samsone, plurimus hostis,
„ Principe sic magno Turca cadente, cadit.
„ O cedro dignum facinus! nunc aurea tempe
„ Incolit in nitido Victor, ouansque polo.

Digitized by Google

2) *Tympanum* paruum tataricum ex cupro, pelle vitulina obductum.

Huius generis tympana in exercitu equestri Turcico, et Tatarico hodiedum vsurpantur. Istud in Praetorio Ciuico *Carponae* ab anno 1667. conseruatum fuit, quo videlicet tria millia Tatarorum, Ciuitatem inuasura, a Ciuibus, Ductore Bory, ad internecionem caesa fuere. Ea occasione complura hostium Arma in praedam Incolis cesserunt. Cfr. Vály *Magy. Orsz. Leirás.* Tom. II. pag. 414. Ex illis Magistratus L. R. Ciuitatis Museo hoc tympanum misit.

3) *Scutum* americanum ex chelonio grandioris testudinis, quod in America septemtrionali ad vrbem Carolinam (*Charlestowe*) sub bello Coloniarum, anno 1780. contra Anglos gesto, miles Americanus Clypei loco adhibuit.

Hoc post viginti annorum per exteras oras peregrinationem, in Patriam retulit, et Museo cessit Ios. Vitéz *de Zadány.*

§. II.

Mucrones, Sicae, etc.

1) *Sica* neapolitana, vulgo *Stilet*, in longitudine vnius pedis. Instrumenti huius mortiferi manubrium est ex calybe, nitide argento pelliculatum. Labor illius antiquitatem spirat ex saeculo XV. aut certe ex primordio XVI. Ipsa vagina quoque illius censetur esse temporis.

2) *Alia*, quam venetam nominant, sex tantum digitos longa, et vnum pollicem lata, priori periculosior. Ad vulnus enim exasperandum, ferrum ex vtraque parte non modo acuminosum est, sed etiam vtrinque in medio profunde scalptum, incisis huic-rimulae literis I. N. R. I. Manubrium haud informe ex eodem ferro, vel calybe formatum habetur, vt ictus tanto firmior esse queat. Vagina caret. Fabrica cum priore eiusdem aeui est.

Vtrumque macheriolum diu inter arma nobilis Familiae Erôs *de Bethlenfalva* conseruatum, modernus Ord. Iudex Nobilium in I. Comitat. Borsodiensi Ios. Erôs *de Bethlenfalva* ad Museum deportauit. Istas mucronum species in Hungariam iam sub Carolo I. immigrasse, confirmant mucrones in Fraknó, et Németh-Vjvár annis saeculi XIV. signati. Consuetudo cultros gestandi inter Valachos, ad caedem promtos, etiamnum viget.

3) *Mucro* turcicus, quem etiam ab Hungaris *Handsár* nominari, testis est Páriz Pápai in *Diction. Hung. Latin.* pag. 123. manubrio eburneo vestitus, margines non inconcinne argenteis rosulis ornantur, vagina bysso caerulea obducta, argenteis lamellis latioribus armata est.

Anno 1788. Turcae in praelio ad Orsouam ereptum Steph. Marczibányi redemit, eius successores Museo dederunt.

Digitized by Google

4) *Alius* cum manubrio argenteo, et vagina itidem argento lamellata semialterum pedem (vti omnes fere mucrones turcici, vnius, eiusdemque magnitudinis sunt) longus.

Hunc Leonardvs Reviczky *de Revisnye*, quum adhuc Iurisprudentiae studiis in R. Vniuersitate Scientiarum Pestiensi vacaret, anno 1813. nomine matris Museo consignauit.

5) *Alius* damasceni operis, manubrio, et vagina per vetustatem sub terra dudum consumtis.

Effossum an. 1816. in *Dorosma* Oppido Cumanicali pone hortum paternae Domus, Ios. Gyerney Causs. F. V. iurat. Aduocatus Museo addixit.

6) *Macheriolum* militare, vulgo *Bajonette*, quod sclopis affigi solet, et in proeliis plurimum praestat vsum, formae antiquae, rubigine magnopere iam consumtum, vnius pedis longum.

Repertum infra terram in territorio *Magyar - Almásiensi* Comitatus Albensis, Comes Nic. Eszterházy *de Galántha*, S. C. et R. A. M. Camerarius, antiquitatis caussa, Museo misit.

§. III.

Pugiones.

1) *Pugio*, Hungaris dictus *Hegyes Tör*, orgia longior, ferro triformi, vaginaque circulis ferreis armata, vti etiam manubrio ferreo instructus.

Hic per duo iam saecula apud familiam Gosztonyianam latebat. Generalis Campi Vigiliarum Praefectus Caesareo-Regius, Ioan. Gosztonyi *de Kis - Némethy* ad Museum transposuit. Istud genus Armorum olim Hungaris admodum familiare fuit. Talismodi pugiones Armigeri post heros suos in proeliis portabant, et dum vsus faciendus erat, propinabant, praecipue, quum ex equo dimicatum fuit aut duellum habitum est.

2) *Alius* eiusdem longitudinis, et formae, manubrio attamen fracto.

Pertinebat condam ad Leonard. Kvbinyi, sub annum 1526. arcis *Gede* in Comitatu Gömöriensi Capitaneum, a cuius obitu prope tercentis iam annis penes familiam asseruatum, Petr. Kvbinyi *de Felsö - Kubin* Museo custodiendum tradidit.

3) *Alius* prioribus affinis, sine manubrio. Vagina recentissime superinducta est.

Repertum in Comitatu Báchiensi ad pagum *Iankovácz* familia Voinics de *Baisa* Museo nationali resignauit.

Digitized by Google

4) *Alius* proxime affinis Kubinyiano, fracto nimirum capulo, et vagina magnopere vitiata.

Pavl. Gyürky *de Losoncz* ex collectione armorum Familiae suae ad Museum transtulit.

5) *Alius* vno fere pede breuior caeteris, bene conseruatus, cum vagina, circulis argenteis incincta.

In propria domo Budae effossum Car. Bikkessy *de Vámos-Attya* S. C. et R. A. M. Consiliarius Museo cessit.

6) *Alius* prioribus forma, et longitudine similis, manubrio vaginaque munitus.

Hunc a Pavl. Vörös *de Farád* Capitaneo Csobánczensi ad posteros transmissum Francisevs haeres an. 1814. ad Museum reposuit.

7) *Alius* ad formam praecedentium fabricatus, manubrium autem, et vaginam lamina aerea ambit cum inscriptionibus. *In manubrio*: AZ A FEGYVER KIÉ VOLT, KIÉ MOST, KIÉ LESZ. *In lamina vaginae* pone orificium, *in prima linea:* EBÉ VOLT, ENYIM MOST, EBÉ LESZ. ROSA ISTVÁN F. B. M. *in altera linea*: VAGY, HAZÀM SZABADSÁGA, VAGY HALÀL 1704. *in tertia*: EB KÉRI, EB ADGYA KORDEBA. 1704.

Pugio iste fertur vltra centum annos in Felsö-Bánya reconditus fuisse, eaque de caussa illius possessor literas F. B. M. *Felsö-Bányai Magyar* interpretatus est. Quid vox *Kordeba* denotat, non assequor, nisi fortassis dicere velis *Kordera* i. e. perfunctorie. Museo procuratus est per Lad. Tihanyi *de Ébeczk* complur. Comitat. Tab. Iud. Assessorem. Esse ex reliquiis tumultus Rákocziani, annus 1704. confirmat.

8) *Alius* equestris (*Tournier*, siue *Ritter-Degen*) damasceni operis, coniunctus vaginae ferreae, perinde damasceno opere, auroque olim tinctae, ex qua presso digiti elatere ferrum prosilit, et pugio vltra orgiam prolongatur. Accedit capulum deauratum ex calybe: et aduersus aemuli impetum declinandum, circulis gyratis aptissime firmatum.

Pugionem hunc ad saeculum XVI. referri, exploratum est. Albae Regiae ad Frav. Vörös *de Farád* manus peruenit; qui Museo obtulit. Diuinandum est, hunc ibidem remansisse, dum Ferdinandvs I. an. 1527. illic Corona Hungariae incinctus est. Ea enim occasione Ludi equestres celebrati fuere per exterarum Prouinciarum Equites; quorum frequentia Solennia inaugurationis adaucta esse, perhibet rarissimus, qui in Bibliotheca Regni Széchényiana existit, Libellus: *König Ferdinande zu Hungern, vnnd Beheim Erzherzog zu Oesterreich etc. Einreytten, vnnd Krönung zu Stulweisenburg in Hungern Anno M. dXXVII.* 4. *s.* l. *b. plagul.*

§. IV.

Enses, et Gladii diuersae formae.

1-2) *Gladii* duo germanici militares cum capulo ferreo, nimiopere rubigine exesi, sine vagina.

Digitized by Google

Effossos Budae in monte D. Gerardi, dum ibi Speculae Astronomicae fundamenta iacerentur, Sereniss. Archidux Iosephvs Palatinus ad Museum dedit.

3-4) *Alii* duo, manubrio scotico, quod integram manum contegit, ex ferro muniti, in vagina coriacea, laminis aeneis obducta, quorum vterque in ferro signatus est literis F. A. et in vagina C. F. II. E. Nro. 18. probabilius Copiarum auxiliarium Saxonicarum, Bauaricarum vel Brandeburgicarum, post recuperationem arcis, et vrbis Budae collecti, ac in praetorio Ciuico asseruati.

Vterque iussu Sereniss. Archiduc. Iosephi Palatini ad Museum translatus.

5) *Alius* breuis cum inscriptione: SOLINGEN. ME. FECIT. 1517. in aduersa parte: FIDE. SED. CVI. VIDE.

Gladius iste profunde e terra erutus in Comitatu Hontensi, probabilius iam sub Lvdovico II. in Hungariam penetrauit, cuius aetate omnia fere arma adhuc ab exteris petita fuere. *Solingae* ab immemorabili tempore (docente Hübnero in *real Staat. Zeit. u. Conuers. Lexic.* edition. Sperlianae Tom. II. pag. 1146.) optimi et copiosissimi gladii, ceteraque armorum genera praeparantur. Museum isto potitur ex oblatione Petri Kvbinyi *de Felsö-Kubin.*

6) *Alius* breuis duorum pedum ad lacum Pátkensem in Comitatu Albensi inuentus, et anno 1414. signatus.

Incidit in aetatem Sigismvndi Imp. et Regis, meritoque rarissimis antiquis armis adnumerandus. Pauci certe viderint Saeculi XV. gladios, anno signatos. Inuentor, Dominii Frumentarius, Ios. Pentz illico ad Museum deportauit.

7) *Ensis*, Germanis *Flammenschwerdt*, flammatus, Hungaris *Fogas-Tör*, denticulatus, dictus, simplici capulo ferreo, quod formam Crucis refert, munitus, pondere leuis, sed periculosus, si eodem vulnus infligatur.

Olim hac vsus est Pavl. Vörös *de Farád*, qui sub Leopoldo I. Imp. et Rege Hung. in arce *Csobáncz* Vice-Capitanei munere fungebatur.

8) *Alius*, scoticus, semialterum digitum latus, cuius capulum calybeum, auro illinitum, interneque ceruina pelle vestitum, totam manum obtegit.

Ensis iste bene conseruatus, sub finem saeculi XVII. ad Praefectum militarem Caesareum pertinuit, e Scotia oriundum, qui sub Leopoldo I. contra Turcas in Hungaria militauit. Post recuperatam an. 1686. Budam, in Patriam suam rediturus, amico, et commilitoni Pavl. Vörös *de Farád* eundem donauit.

9) *Alius*, duos fere digitos latus, ductisque per longitudinem in vtraque ferri planitie duabus cauis lineis, manubrioque grandiore calybeo, et in gyros tornato, munitus, ac optime conseruatus.

Oliger Iacobaevs in *Mus. Reg. Dan.* Part. II. Sect. III. Tab. I. num. 5. ad unguem huic similem, aeri incisum, exhibet. Iste est ex reliquiis pugnae, ann. 1716. ad Petri-Varadinum cum Turcis prosperrime gestae. Traditio fert, spectasse ad vnum ex Evgenii Ducis Sabaud. et Supremi Archistrategi Caesarei Prostratibus, in eodem proelio caesum.

Digitized by Google

10) *Fragmentum* ensis antiqui, cuius ferrum rubigine fere consumtum, et fractum, capulo tamen adhuc integro.

Inuentum est Albae Regiae inter moeniorum ruinas. Enses hos a num. 7 — 10. Museo conseruandos Fran. Vörös *de Farád* reliquit.

§. V.

Gladii memorabiles.

1) *Gladius* calendarialis (*Kalender-Schwerdt*) duos digitos latus, in vtraque margine acutus, cui incisi sunt in auersa sex, in postica totidem menses, cum Diuorum Ecclesiae Romano-Catholicae nominibus, diebus Festis, et Dominicis. Accedunt vtrobique versus germanici huius tenoris:

Im Ienner sitzt man gern zu Tisch,
So ist der Hornung kalt, und frisch.
Der Merz hebt Zbawen an die Erden,
im April thut alles grün werden.
Zu Wasser, und zu Land, sucht Lust der Mey
der Brachmon führt ein das Hev.

*
* *

Der Hevmon samlet den Haber,
das Korn der Augst einschneidet, aber
Der Herbstmon nass den Wein last werden.
der Weinmon wirft Samen in die Erden.
In Wintermon Laub vnnd Grass verdirbt,
manch feistes Schwein in Wolfmon stirbt.

Annus quidem desideratur, sed effigies Rvdohlpi Rom. Imp. et Regis Hung. indicat saeculum XVI. cum cuius exitu Calendarium Gregorianum occepit. Manubrium ferreum grande, argento fuisse pellicatum vestigia commonstrant. Vagina ex Corio nigro eiusdem quoque aetatis est.

Digitized by Google

Haec Gladiorum species in Hungaria hodie rarissima, ex liberalitate Fran. Vörös *de Farád* ad Museum nationale venit, qui extra regnum multo aere redemit. Adaequate correspondet illi, qui in Catalogo Antiquitatum Birkenstockiano *Ouvrages de l' art.* N. 1. pag. 127. aeri incisus repraesentatur.

2) *Alius Equitis Hospitalarii S. Ioannis*, signo Crucis notatus, Equitibus huius Ordinis proprio, duos digitos latus est, et vtrinque acuminosum. Manubrium, et Vagina renouata sunt, retenta pristina forma, et in locum deperditae gemmae, quae in veteri capulo micasse obseruatur, inserto vitro viridi.

Formam equestrium istius Ordinis gladiorum per vniuersam Europam fuisse vbique vnam, eandemque, docet typus, quem Oliger. Iacobaevs *Mus. Reg. Danic.* Part. II. Sect. III. Tab. I. num. 5. profert. Hunc effossum intra muros interioris Ciuitatis Alba Regalensis, primum sibi Fran. Vörös *de Farád* procurauit, dein ad Museum transtulit. Hac in vrbe Equites Hospitalarios habuisse Conuentum, praeter infinita Documenta Literalia, quae nunc in Capituli Posoniensis archiuo sine fructu iacent, et pedetentim esca tinearum, et blattarum euadunt, perhibet etiam typus Sigilli cum epigraphi monastica: *S. Capituli Domus Hospitalis B. Reg. Stephan. de Alba.* apud Péterffy *Concil. Hungar.* Tom. I. pag. 39.

3) *Alius Sinensis*, tres digitos latus, ferro prouisus damasceno, in quo Draco, auro tinctus, natales fabricae Chinensis indicat. Vagina bysso rubra pelliculata est, et decem laminis argenteis latis, auro illinitis, splendet, quibus quatuor annuli ex eodem metallo agglutinati sunt. Capulo perinde argenteo, eoque inaurato ornatur. Non modo manubrium, sed etiam lamellae argenteae in vagina centum sexaginta elegantibus eranis gaudent.

Pretiosus iste gladius pertinet ad xenia, quibus Pancrativm Sennyey a Bassa Décsiensi Sect. II. §. XIII. num. 51. et 52. donatum fuisse, narratum est.

4) *Alius* supra tres digitos latus, vtraque parte acutus, qualis scilicet hodie Lictoribus esse solet, capulo eburneo, et vagina laminis aeneis, proque adpendendo loro annulis instructus.

Hoc saepenumero sub Matthia I. Hung. Rege contra Turcas gloriosissime dimicauit celeberrimus aeui sui Heros Pavlvs Kinisy, cuius praeclara facinora paucis adumbrauit Fr. Bvdai in *Magy. Orsz. Polg. Hist. való Lexik.* Tom. I. pag. 467. Quum eius, quae etiamnum in arce *Vásonkö* existit, tumba an. 1768. adperiretur, cum reliqua armatura integre repertus est; defunctus Pincernarum regalium Magister Fran. e Comitibus Zichy *de Vásonkö* an. 1812. nomine Illustriss. Familiae hoc venerandae antiquitatis monumentum posthac in Museo nationali custodiendum, et Patriophilis monstrandum, ordinaui t.

5) *Alius* sine vagina vltra orgiam in longitudine, ad tres digitos in latitudine protensus, cum ingenti capulo.

Huius generis gladios, florente Imperio Romano-Germanico, moris erat in Liberis Imperialibus Ciuitatibus, in publicum solenni cum pompa prodeuntibus Magistratibus praeferre, aut vero Iudicum latus per Apparitores, talismodi gladio armatos, stipare, dum malefactoribus sententia pronunciaretur. In Hungaria etiamnum Supremus Agazonum Regalium Magister gladio munitus, Regi, in Solio sedenti, adstat a dextris. In M. Twroczii *Chronico Hungarorum. fol. Aug. Vindel.* 1488. Hungari eiusdem formae gladiis pinguntur, et apud illos (licet vtraque manu regi, et sustineri debeant) in vsu fuisse, confirmant illustrium Familiarum Armamentaria. In Németh-Vjvárіensi Batthyániano complures existunt. Hunc anno 1753. laurini in priuata Domo erutum, Vidua Ioan. Balogh, ad Exc. Consil. R. L. H. condam Registratoris, nata Baronissa Walterskirchen Museo largita est.

Digitized by Google

6-7) *Alii* item duo sine vagina, nec latitudine, nec longitudine a priore differunt, maiore tamen capulo, circulis diuersimode gyrato, muniti, tam graues sunt, vt vna capi et tractari manu nequeant.

Vterque optime conseruatus est. His anno 1820. Magistratus Lib. Reg. Ciuitatis Leutschouiensis ex suo antiquorum armorum adparatu Museum locupletauit. Isti quoque magnae molis gladii olim ad auctoritatem Iudiciis coram Populo confirmandam destinati fuisse videntur, Saxonibus scilicet Scepusiensibus hanc consuetudinem, gladios praeferendi magistratibus, a Patria sua in Hungariam aduehentibus, quibus Leutschouia primitus domicilium praebuit.

8) *Alius* vno fortassis pede breuior, in reliquo praecedentibus simillimus. Capulo deperdito, vel fortassis sub terra consumto, ligneum recenter substitutum est.

Museum huius particeps fecit saepe iam laudatus Ioan. Boráros.

9) *Alius* superioribus longitudine, et latitudine affinis, sed vtraque parte denticulatus. Capulo caret, prostante nihilominus pertica, cui illud infixum fuit.

Olim Pavli Vörös *de Farád* armis accensebatur, per eius Abnepotem Franciscvm nuper Museo accessit.

10) *Gladius Gothicus* sine manubrio, et vagina, duntaxat nodo grandiore instar globi superstite, quo videlicet capulum firmabatur. Ferrum tres pedes longum, et quatuor fere digitos latum est. Forma illius ad gladios Lictorum accedit.

Ios. Beszédes ad purgandum fluuii *Sárviz* alueum iurat. Hydraulicus, qui hoc gladio antiquorum armorum adparatum Musei multiplicauit, de eo annotauit: „Találtatott Septembernek 19dikén 1811. „ Szekszárdi Uradalomhoz tartozó ugy nevezett Hidas Szigetben nem meszsze Leányvártól kilencz lábnyi „ méllységben, mellette találtatván egy fél ember Kaponya, és olly földbe, mellyet a' viz iszap által „ emelt fel az emlitett nagyságra, a' markolatján esmeretes volt, hogy bikfából készittetett, melly azután „ lehet, hogy bőrrel volt be-huzva. „ Cur vulgus huius formae gladios nuncupet *Gothicos*, non assequor. Namque Hungaros, et Turcos talismodi instrumenta mortifera, longe post Gothos vsurpasse, argumento sunt superius *num.* 3. *et* 4. descripti. Plures huiusmodi gladios etiam alibi repertos esse, qui certe Hungarorum, vel Turcarum fuerunt, exploratum est.

11) *Alius*, demto capuli nodo, cum priori plene cohaeret.

Repertum inter aliqua rudera ad pagum *Tatháza* Dominii Baiensis in Comitatu Báchiensi denatus Excell. Ios. L. B. Podmaniczky *de Aszód*, S. C. et R. A. M. Camer. et Act. Int. Stat. Consil. II. Comit. Bách. et Bodrogh. artic. vnitor. Suprem. Comes, nec non I. Regii Danici Ord. equestr. Danebrog. Commendator ad Museum translocauit.

12) Alius capuli nodo ferreo, adhuc integro, et scutulo insignito, priori plene affinis est.

Inuentus est Quintofori in Scepusio an. 1822. inter ossa humana ad aliquam rupem, et a Domino terrestri Nic. e Comitibus Csáky *de Keresztszeg* Perp. Terrae Scepus. Comite, Praep. de Csöpöfö M. E. Strigon. Cantore, et Canonico, ad Museum translatus.

Digitized by Google

13-14) *Alii* duo, aeque sine vagina, et manubrio, praecedentibus num. 10. et 11. ferris adaequate affines.

Vtramque in Comitatu Bácsiensi ad *Verbász* effossum Ios. Kis Museo testatus est.

15-16) *Alii* duo paululum latiores, optime conseruati, cum integro capulo, quod corio bubalino, nodulis minutis ex argento, iisque copiosis, ornato, circumuallatur, vt manus contra ictum aduersarii tegeretur. Ferrum, et vagina eiusdem sunt aetatis.

Libera, Regiaque Ciuitas Leutschouiensis his vetusta Musei Arma an. 1820. auxit. Traditio in Scepusio dominatur, hoc ferri genere Nobiles oppidorum Lanceatorum aliquando usos fuisse.

§. VI.

Frameae Hungaricae.

1) *Framea* Principis Transsiluaniae Gabrielis Báthori *de Somlyó*. Ferro praeter tres dentes lupinos, qui gentilitii scuti tesseram indicant, ipsum Principis nomen *Gabriel Báthory* cum septem Stellulis, et Luna, atque emblemate turcico incisum est: in altera parte effictum est simulacrum Imperatoris Ottomanici, vel Summi Archistrategi, quem Vezirium vocant, cum Sole, quatuor Stellis, ac itidem characteribus turcicis. Ferrum curuum duos digitos latum, in dorso perinde turcicam inscriptionem refert. Huic vagina cum capulo recenter accommodata est.

Gabr. Báthorivs, deposito homagio, in testimonium receptae clientelae ab Aula Ottomanica, pro more solito, hac framea condecoratus fuit. At enim scelerato (vt Nadányivs in *Floro Hungarico* Lib. IV. Cap. XVI. pag. 355. et seqq. perhibet) Principe Magno-Varadini in vico Velencze, per Greg. Nadányi, et Ioan. Szilasy anno 1613. trucidato, horum Cognati eandem frameam tamdiu conseruarunt, donicum Ios. Csohányi praematura morte ereptus, in equestris ordinis Hungarici Legione Palatinali Capitaneus, et Sereniss. Archiducis Iosephi Hung. Palatini a Latere Prostrates, ad Museum non detulisset.

2) *Alia* operis damasceni. Vagina calybe ferruminata est, quae auro crustata nitet. Capulo sex pretiosi erani (*Türkis*) ornamentum conciliant.

Olim frameas, et phaleras equiles eranis copiosis distinguere, Hungaris valde placuit, perhibentibus etiamnum superstitibus apud illustriores Familias in gazophylaciis talismodi ornatibus. Hanc quoque saeculo XVI. affabre formatam, inter Arma Maiorum suorum reperit Steph. Marczibányi, a cuius successoribus ad Museum transiit.

3) *Alia* lata, cuius ferrum opere damasceno eminet, vagina bysso rubra obducta est, quam fere totam solida ex argento lamina, auro illinita, tegit, vti etiam capulum integre munitum est. Ex labore saeculum XVI. cognosci potest.

Museum possidet ex dono Sereniss. Archiduc. Iosephi Palatini.

Digitized by Google

4) *Alia* notabilis, tum, quod ferrum damascenum summopere extollatur, tum, quod illud IBRAHIMVS Bassa, ex Historia Hungariae cognitus, sua effigie, et nomine signatum, e captiuitate turcica dimisso AMBROS. LAKY *de Niczkilak* dono dederit.

Vaginam recenter laminis aeneis, auro tinctis, vestiri curauit, et Museo cessit, condam I. Comitat. Iaurinen. Vice Notarius, SAM. LAKY *de Eadem.*

5 - 6 *Aliae* duae militares, equestris ordinis Hungarici, sine capulo, et vagina, probabilius sub terra consumtis.

Vtramque SYLVEST. KELNER vinicola in eodem loco simul Budae ad vallem S. Pauli an. 1814. effossas, Museo dedit. Istae confirmant narrationem, an. 1686. sub recuperatione arcis, et vrbis Budensis ex hac Valle copias Hungaricas, et Croaticas Ducibus PÁLFIO, LADRONIO, MERCIO, et HEISTERO erupisse, et VEZIRII exercitum deleuisse.

7) *Alia* perinde sine capulo, et vagina. Ferrum auro caelatum refert iconem Regis Poloniarum, paludamento amicti, et diademate praecincti, cum subscripto aureis literis nomine: SIGISMVNDVS III. POLONIAE REX. 1506.

Regis istius complures in Hungaria, et Transsiluania circumaguntur numi, Literae, arma, et alia monumenta, quae vel per sanguinis nexum *Báthorianum*, et *Zápolyiánum* huc deuenerunt, vel per ipsos Hungaros e Polonia in Patriam reportata sunt. Sub SIGISMVNDO enim nobilissima pars iuuentutis Hungarae Cracouiae studuit, perhibente *Regestro Bursae Cracouiensis Hungarorum*, quod nostris curis primum e tenebris in lucem protractum est. Tametsi ignotum sit, qua via haec framea in Transsiluaniam pertigerit, nouisse interea sufficit, eam apud familiam CSEH *de Szent Kátolna* a saeculo XVI. constanter delituisse, et an. 1809. Condescendentes de eodem genere, in Comitatu Tolnensi, fratres, FRAN. et Ios. CSEH *de Eadem Sz. Kátolna* ad Museum transtulisse.

8) *Alia* nitidissime ex ferro Hungarico praeparata, et polita. Ferrum Insignibus Regni caelatis excellit. Vagina perinde ferrea encausto rubro, et caeruleo, nomen Imperatoris, et Regis in literis F. I. refert.

Prodiit anno 1808. iussu Archiducis IOSEPHI Palatini Neosolii ex Fabrica armorum.

9) *Alia* eiusdem metalli affabre parata. Ferro elegantissimis literis incisum est: PRODVXIT ME MINERA HVNGARICA, PRAEPARAVITQVE NEOSOLIENSIS FABRICA: Manubrium corneum vestitum est lamina quoque ferrea, insertis ex purissimo auro literis I. P. A. (*Iosephus Palatinus Archidux*). Vagina quoque integre ferrea figuris symbolicis exornata habetur, e. g. 1) Fossor metallicus, in cauerna sedens metallum malleo caedit. 2) Genius ferrum cudit. 3) Alter frameam cote acuit. 4) Exhibentur varia armorum genera. 5) Haec excipit Scutum Hungariae. 6) Genius loricatus gladium stringit. 7) Dea pacis sedens, vna manu ramum oliuae, altera Coronam lauream tenet. 8) His aquila imperialis Austriaca addita est. In dorso Artifex minutis characteribus nomen suum sculpsit: *Iosephus Kraft fecit in Neusol.* 1816.

Pace cum Gallis composita, Artifex Serenissimo Archiduci IOSEPHO Palatino isthoe fabricatum obtulit, a quo ad Museum venit.

Digitized by Google

§. VII.

Hastae, Lanceae, et Secures.

1) *Hasta* militaris (*Partisan*) ex orichalco bene conseruata, et inaurata, Scuto Augustae Domus Austriacae caelata, olim propria Centurioni, vel Locumtenenti pedestris militiae, in exercitu Caesareo, dependentibus ex longa pertica, fimbriis nigri coloris.

Istarum Hastarum vsus iam sub initium saeculi XVIII. abolitus est. Inde euenit, quod multi Praefecti militares suas Hastas in templis suspenderint. Ista quoque Budae in ecclesia Monialium a S. Clara parieti vsque annum 1784. affixa fuit, post earum autem sublationem auctioni publicae expositam Steph. Marczibányi *de Puchó* redemit, illius vero successores Museo accommodam iudicarunt.

2) *Lancea* ferrea, rotunda, vnius fere pedis longa, et cuspidata.

3) *Alia* eiusdem longitudinis, acuminosa, instar claui fabricata.

Vtraque effossa est in Marmatia ad Borsam, vbi ad initium saeculi XVIII. Tatari castra metati sunt. Magistratus Prouincialis Archiduci Iosepho Palatino pro Museo nationali resignauit.

4) *Securis* carnificina, semialterum pedem longa, sex digitos lata, medium pollicem crassa, vna duntaxat parte acuta, admodum grauis, manubrio ferreo solido firmata, in dorso annum 1613. incisum exhibet.

Huius formae secures a Lictoribus in Anglia occasione exequendi alicuius supplicii, adhibitas esse, constat ex icone: quae pag. 185. inserta est *Tragico Theatro actorum, et casuum tragicorum, Londini publice celebratorum.* 8. *Amstaelod.* 1649. Hanc iam ante saeculum inde aduectam Museo nationali procurauit denatus Car. Klement Ciuicus Stabuli Magister Pestiensis.

5) *Alia* humeralis, ferro damasceno, duos pedes longo, et sex digitos lato instructa. Parte vna caelata exhibet regnantis Augustae Domus Austriacae Insignia. Supra haec annus numeris arabicis 1649. legitur, cum literis F. C. E. vnam, alteram lineam Z. O. occupantibus, id est: *Ferdinand Carl Erzherzog zu Oesterreich.* Partem aduersam ornat vir lorica indutus. Scutum tegitur Cruce S. Andreae, adiecto eodem anno 1649. et literis F. E. h· e. *Ferdinand Erzherzog.* Manubrium solidum ex nuce ad quatuor fere pedes protensum, auro, argento, ebore, et myrtillis margaritiferis caelatum eminet.

Erat hoc genus armorum magis aulico splendori, quam vsui bellico accommodum. Nam saeculo XIV. et tribus sequentibus consuetudo viguit, Praetorianis militibus, ante Regum, et Principum fores excubaturis, aut eosdem comitaturis, talismodi arma dare, quae sinistro humero imponebantur, quemadmodum apud Romanos Consulibus Lictores fasces praeferebant. Ferdinandvm hunc fuisse Comitem Tyrolis et 30. Decemb. an. 1662. obiisse. constat ex Coronini *Specim. genealog. progonolog. Prosap. Habsp. Lotharing.* Cap. III. §. IX. pag. 88. Vice-Capitaneus Csobánczensis Pavl. Vörös *de Farád* hanc Securim inter sua olim censebat arma, nunc generositate Fran. Vörös *de Farád* Museum nationale suis adnumerat.

Digitized by Google

6) *Alia* antiqua manualis, qualis Slauis ad Carpathum hodie familiares esse solent, ex Saione fluuio ad Boldua Comitatus Borsodiensis pagum in sua integritate (manubrio tamen putrido) extracta.

Nihil singulare ostendit, nisi forte, quod per saeculum sub aqua iacuerit. Ios. Erös *de Bethlenfalva* Museo misit.

7) *Securis* historica, quae formam refert dolabrae Romanae. Capitaneus VII. Hungarorum Verbülch pingitur in *Mausol. Reg. et Duc. Hung.* pag. 72. similem gerens. In huius securis vna parte lemma legitur: *Audaces fortuna iuuat*, incisusque est Heros tunica hungarica, pallio, cristato pileo, et cothurno, longis calcaribus armato, amictus, praecinctus gladio, et cornu de humero pendens, cui infrascriptus est annus 1090. Haec quippe effigies fortasse assumta est, ad supplendum simulacrum Mich. Estoras, qui Supremus Cubicularius Regis Geysae, ac sub S. Ladislao Bellidux ad an. 1090. declaratur in *Tropheo Domus Inclyt. Estoras.* Tab. IX. In altera parte lemma incisum est: *Virtute duce, comite fortuna*, tum vero vir loricatus, galea, et thorace munitus, praeterea gladiatus, sinistro humero clauam gestans. Hac effigie repraesentatur Georg. Estoras Belli Dux sub Sigismvndo Imp. et Reg. in proelio contra Turcas ad Nicopolim an. 1396. trucidatus, in eodem *Tropheo* Tab. LI. Vtrique imagini additum est scutum gentilitium cum Grypho.

Securim hanc recentioris esse fabricae, nemo non assequitur. Attamen ad conseruandam illustris Gentis memoriam Museum vno aureo comparauit, et Hungarorum instrumentis bellicis adlegit. Dolabras huius formae a Romanis adoptatas, comprehendi potest ex figura, quae habetur in L. An. Flori *Epit. rer. Romanar. ex recens.* Io. G. Graevii. 8. *Amstel.* 1702: Tom. I. Lib. IV. Cap. X. pag. 496.

§. VIII.

Clauae, et Cambucae.

1) *Claua* Principis Transsiluaniae Georgii II. Rákóczy, quam nodus ornat argenteus, tinctus auro, vti manubrium, quod viridi serico vestitum, deaurata lamina ex argento contegit, inciso in extremitate Scuto gentilitio, et anno 1658.

Hanc Viennae repertam Sereniss. Archidux Iosephvs Palatinus pro Museo triginta aureis an. 1816. redemit. Huic affinem Oliger. Iacobaevs in *Mus. Reg. Dan.* Part. II. Sect. II. Tab. II. num. 88. aeri incidi curauit. Fata autem, et res gestas Georg. II. Rákóczii in compendium contraxit Ioan. Bethlen *in Rebus Transsiluaniae.* 12. *s. l.*

2) *Alia* ex aere affabre facta cum manubrio ligneo, circulis ferreis munito. Nodus in dentes subdiuisus est, quorum aliquot desiderantur.

Digitized by Google

Hanc Adam. Vay *de Vaja* Generalis Rákóczianus militi Germano, qui illum an. 1705. capere attentauerat, ferali ictu in caput impegerat. Baro Lad. Vay *de Vaja* an. 1810. Museo resignauit.

3) *Alia* globosa, integre ex ferro, vna cum manubrio, nitido prorsus opere efformata.

Huic similem typum vulgauit Breton in *Aegypten* Part. II. pag. 84. In Museum transferri meruit a familia Gosztonyi de *Kis-Némethi.*

4) *Alia* ex calybe, cuius manubrium ex ligno armillis ferreis armatum est.

Ista ex pluribus clauis, quas variae formae Steph. Marczibányi *de Puchó* possedit, a successoribus Museo relicta est.

5) *Alia* grandis, admodum rudis fabricae, rubigine obducta, ex ferro: in plures dentes dispertito.

6) *Alia* aeque denticulata, eiusdem metalli, e cuius nodo dens vnus effractus est.

Vtramque e confiniis Croaticis Siscia (*Sissek*) Quaestor Pestiensis, Haringer attulit.

7) *Alia* ex aere, olim inaurato, fusa, cuius globus artificiose in plures instar collium acuminatos nodos assurgit; polito ex nuce manubrio affixa est.

Vsus hac olim fuit Fran. h édei Princeps Transsiluaniae, nuper a Comite Lvd. Rhédei *de Kis Rhéde* ad Museum nationale transiit.

8) *Alia* cum breui manubrio, cuius tam nodus, tam capulum ex ferro ita fabricatum habetur, vt idem intus cauum sit, et aperto epitonio dolon acutus prosiliat.

Huic familia Kvbinyi *de Felsõ-Kubin, et Déménfalva* ob singularem suam formam in Museo locum assignauit.

9) *Alia* perinde ferrea antiqua, prouisa paruo globo instar pomi.

Istam an. 1818. in vinea sua Pestini effossam Museo dedit Mich. Meszetics.

10) *Alia* etiam ferrea, cuius nodus orbicularis non est affixus manubrio ligneo, sed ex catena pendet.

Huius generis clauas Hungari *Lánczos Bozogány* appellant, quae apud Turcas hodiedum in vsu sunt. Fatis functus Pavl. Spiellenberg *de Hadusfalva*, ad Excel. Curiam Reg. Pauperum Aduocatus in via publica an. 1811. ad Agriam repertam, Museo tradidit.

11) *Alia* nodata, ex ferro nitide olim parata, et, vt ex vestigiis adparet, ali quando inaurata. Manubrium solidum pelle, et armillis aeneis circumuallatum est.

Familia Marich *de Szolga-Egyhdza*, quae eandem vltra duo saecula possedit, an. 1813. ad Museum commigrare fecit.

Digitized by Google

12) *Alia* denticulata, ex lamina argentea, floribus caelata, et auro condam tincta, saeculo XVI. parata fuit. Manubrium corio nigro, et armillis argenteis vestitum est.

Familia Fejérváry in Comit. Albensi an. 1813. eandem ad Museum reposuit.

13) *Alia* parua aerea, nodulata cum breui capulo ligneo.

Ex spoliis pugnae ad *Szentam* 1697. dedit Lad. Tamásy Cooperator in Temerin.

14) *Alia* ex aere inaurata, formae denticulatae, e cuius vertice protruditur trigonus aculeus ferreus, qui incisum ostendit annum, et nomen Páthory 1517. cum capulo ligneo.

In Transsiluania comparatum, an. 1813. Fran. Vörös *de Farád* Museo transcripsit. Vt sub *Páthory* intelligatur aliquis *Báthoriorum*, nulla prostant testimonia. Oliger. Iacobaevs *Mus. Reg. Danic.* Part. II. Sect. II. Tab. II. num. 88. huic similem exhibet typum.

15) *Cambuca* (*Tsákány*) antiqua ex ferro, formae communis, baculo ligneo, ferreis laminis compacto, infixa.

Rubiginosam quidem, attamen bene conseruatam, Director Musei an. 1816. Pestini in suo allodio effossam tradidit.

16) *Alia*, ex ferro antiqua, cum oblongo eiusdem metalli manubrio, aut potius tubo, interne cauo, fistulae figuram referente, quam Hungari tibiam (*Tárogató Sip*) nominant. Vestita est bysso rubra, quae aetatem saeculi XVIII. determinat.

Ista ex reliquiis motuum Rákócziauorum raritas debetur Mich. Meszetics.!

17) *Alia* ex inaurato aere flauo, cuius scipio ligneus armillis, clauis, et lamellis aereis consolidatus est.

Non inconcinne caelata fabricam saeculi XVII. redolet — Anno 1812. Linea Sárosiensis familiae Deseöfy *de Csetnek*, *et Tárkeii* armis Musei adnexuit.

18) *Alia* calybea, argento caelata, baculo, seu manubrio ligneo, quod corio nigro inuolutum, et copiosis armillis aeneis munitum est, afferruminata.

Spectabat olim ad famigeratum apud Liptouienses Praedonum Ductorem *Iánossek*, sub regimine M. Theresiae ad *Szent-Miklós* rota fractum. Petr. Szentiványi de eadem, ad Curiam Regiam complurium Familiarum Tabularis Aduocatus, et Iurium Director collectionem armorum in Museo illa an. 1813. amplificauit.

19) *Alia* aerea maioris formae, cui ex argento inglutinata sunt duo oualis figurae numismata, quorum vnum Scuto Hungariae, alterum icone B. M. V. cum inscriptione: *Patrona Patriae* signatum est; infixa perticae dolatae.

Digitized by Google

Hanc ex aeuo belli Rákócziani raritatem reperit Alexand. Borbély, Parochus Fajcsensis in Archidioecesi Colocensi, et Museo intulit. Res mira, quod eiusdem formae Cambuca in Dania existat. Oliger. Iacobaevs *Mus. Reg. Dan.* Part. II. Sect. II. Tab. II. num. 88. eiusdem typum prorsus simillimum vulgauit.

20) *Alia*, ex magno frusto chalcedonis Parádiensis bene polita.

Hanc recentioris operae Cambucam Museum accepit a Ios. *Seniore* Szilassy *de Pilis*, S. C. et R. A. M. Consil. Aul. ad Excel. Tab. Septemuir. Assess. et in Circulo Transdanub. Ecclesiar. et Scholar. euangelic. H. C. Suprem. Curatore.

21) *Alia*, ex viridescente lapide serpentino, nitide efformata.

Museo obtigit ex dono Comit. Christoph. Migazzy. Caeterum neutiquam credendum est, Clauas (*Bozogány*) et Cambucas (*Tsákány*) instrumenta esse mortifera, solummodo Hungaris propria, immo vero ab Asiaticis populis, Turcis, Persis, Tataris, Arabibus, etc. adoptata sunt. Breton in *Aegypten.* Part. II. pag. 84. diuersarum formarum typos dedit. Vtraque manubrio caret.

§. IX.

Catapultae, Arcus, Tela, Iacula, et Sagittae.

1) *Catapulta* manualis, ferreo elatere instructa, ad tela cum impetu velociter eiaculanda.

Ex arcis Kanisaensis Armamentario percepit pro Museo Ant. Tallián *de Vizek* in I. Comit. Weszprém. Tab. Iud. Assessor.

2) *Alia*, priori similis.

Ex adparatu armorum *Marcsibányianorum.*

3) *Alia*, eiusdem formae.

Etiam saeculi XV. a Ioan. Boráros.

4) *Alia*, paululum minor caeteris.

Ex *Csóka-Kő* a Ios. Nagy Comit. Alben. Iudice Nobil.

5) *Alia* maior, ornatior, et optime conseruata.

Ex Armis Familiae suae Petrvs Kvbinyi *de Felső-Kubin, et Déménfalva* ad Museum transtulit. Catapultarum vsus a Romanis, vti ad alias gentes, ita ad Hungaros quoque transiit, tamdiuque in exercitu adhibebantur, donec cum inuentione pulueris pyrii, exeunte saeculo XV. hic, et inchoante XVI. alibi extinquerentur. Erant vero aliae currules, aliae manuales. Vtriusque ordinis typi exhibentur in Schwebeliana editione Norimbergensi Fl. Vegetii *de Re militari* Lib. III. pag. 75. et Lib. IV. pag. 129. fig. 8. et 9.

Digitized by Google

6) *Tela*, siue baccilla breuia, rotunde ex ligno solido tornata, quorum fines ferreis aculeis armata, e catapultis olim emittebantur.

In Ciuitatibus Lib. Reg. ac montanis complura adhuc cum ipsis catapultis inueni ntur. Inde And. Haliczky AA LL. et Phil. D. in Vniu. R. Pestien. Literatur. German. P. P. ac Libror. Reuisor R. pro Museo quinque tulit.

7) *Iacula* (Wurfspiese) tria, continentur in theca coriacea, latis armillis, annulisque argenteis vestita. Iacula in longitudine duorum pedum affixa sunt tenuioribus baccillis, praeparataque ex calybe subtilissime aculeato, et ad vulnus exasperandum trifido. Quilibet baccillus insuper munitus est capulo, quod argento pelliculatum fulget.

In his iaciend's iuuentus Turcica semet constanter exercere solet. Ista ex praedarum reliquiis postremi belli Ottomanici Museo obtigerunt. Formas eorum aeri incisas profert Bretonivs in *Aegypten* Part. II. 75.

8) *Arcus* tataricus, affabre factus ex cornu, viridi colore picto, et aureis floribus decorato, extremitatibus, quibus corda adstricta est, osse firmatis.

Arcus populorum Asiaticorum, a Romanis, tantum magnitudine, et decoratione, differunt. Hunc vna cum iaculis supra indicatis, pro Museo reseruauit defunctus Ioan. Tersztyánszky *de Nádas*, complur. II. Comitat. Tab. Iud. Assessor.

9) *Alius* aeque tataricus maioris formae antiquus, et coloratus, sine corda, vel zona.

Acceptus a Fran. Vörös *de Farád.*

10) *Alius* asiaticus corneus crassiori corda intensus.

Ant. Sprvng Ciuis, et Quaestor Temesiensis ex pluribus, quos Colonus an. 1789. in sylvis pone Mehadiam ad cumulum congestos inuenit, hunc pro Museo destinauit.

11) *Alius* etiam corneus, et coloratus, in quo defectum cordae crassior zona sericea supplet, fortiter adstricta.

Inuentum an. 1788. in Banatu ad *Alibunár* Caes. Reg. Postae Magister Ios. Schiesl Museo submisit.

12. *Alius* priori similis.

Perceptus ex *Verbász* a denato Ios. Kis.

13) *Alius* ligneus paruus, in medio tamen, et in extremitatibus osse complicatus, et coloribus pictus.

Isto ex reliquiis postremi an. 1788. et 1789. cum Turcis prosperrime gesti Belli, Math. Horcsitl Vrburariae Societatis Quinque Ecclesiensis Director Museo nationali gratificatus est.

Digitized by Google

14) *Sagittae* complures ex tenuibus, sed duorum pedum longis baccillis confectae, quarum extremitates parte ab vna ferreis ad formam cordis armatae aculeis, ab altera plumulis vestitae sunt.

Antiquissimum hoc armorum genus duntaxat adhuc apud barbaras gentes in vsu est. Tatari, et Turcae Asiatici vltimo bello Turcico magnam sagittarum copiam in Hungaria reliquerunt. Fortitudine enim Caesarei militis in Banatu contriti, sponte illas abiecerunt, quae postea a Colonis collectae, per vniuersum regnum dispersae fuere. Ex illis quoque Museo obtigerunt a Can. Csanád. Ant. Radványi. Caute vero tractanda sunt iacula, et sagittae, quum passim veneno tingantur. Charbetvm nuper sagittam indiacam Londini manibus cum vitae periculo versasse, constat ex *Presburg. Zeitung.* an. 1822. Num. IX. pag. 97.

15) *Acicula* ferrea bene conseruata, olim sagittae affixa.

Inuenta est an. 1823. die 25. Maii in Comitatus de Sáros possessione Zsegnye, et Museo ab And. Csorba V. D. M. Communitatis A. C. ibidem oblata.

§. X.

Sclopi maiores, et minores.

1) *Sclopetum*, maximae formae, ingentis ponderis, et ad duas pene orgias longitudinis, quod Hungari *Szárnyas Fegyver*, Germani *Doppelhacken*, stylo pyrotechnico nominant. Fistula grandis, cum sat lato orificio, incumbit tota thecae ligneae ex nuce durissima excauatae.

Talismodi Sclopetorum vsus cumprimis factus est olim in arcibus, vt obsessi intra muros se tuerentur, hostemque appropinquantem, etiam ad mille passuum distantiam glande plumbea petere possint. Istud ita conseruatum est, vt etiam hodie adhiberi queat. Condam pertinebat ad Comitem Rhédei Comitatus Máramarosiensis Supremum Comitem, nuper ad Museum repositum est a Comite Lvd. Rhédei *de Kis Rhéde.*

2) *Aliud* ad semialteram orgiam longum, fistula nihilominus haud crassior est, quam hodie sit sclopi militaris.

Istud instrumentum lethale, prout praecedens in arcibus, ita hoc in campis adhibebatur ad enecandos belli Duces, infixo in terram vnco ferreo, cui illud apponebatur, vt nempe pro lubitu dirigi potuerit. Fabricatum est saeculo XVII. in Italia. Idem C. Lvd. *de Rhéde* pro Museo aere suo comparauit.

3) *Sclopus* antiquus octo pedes longus, lamellis aeneis ferruminatus, cuius manubrium lamina etiam aenea, et eliquato ferro concinne fabricatum est.

Huius Generis Sclopos *Clementinis* populis, dum ex Turcicis ditionibus in Syrmium migrarent, olim familiares fuisse, perhibet Car. Windisch *ungrisch Magazin.* II. Band. pag. 77. Hunc ex Kaminecz Steph. Marczibányi *de Puchó* percepit, et nunc a successoribus nationale Museum.

Digitized by Google

3) *Alius* in longitudine vnius orgiae cum manubrio ligneo, quod affabre, vti etiam fistula, aere figurata, et aeneis armillis firmata sunt.

Istud genus Scloporum asiaticum est, formas eorumdem referente Bretonio in *Aegypten.* Part. II. pag. 75. Hunc e Transsiluania pro Museo an. 1812. Steph. Novák tulit.

6) *Alius* paululum minor, totus, vna cum manubrio, operis damasceni, nitide armatus.

Olim isto vtebatur in Oláh-Lapos Syluarum Custos, a Valachis *Kornik* dictus. Ioan. Kvtsersfeld *de Kutsera* an. 1810. Nagy-Bányae pro Museo impetrauit.

6) *Alius* elegantis formae, et multi artificii. Fistula anaglypho labore exhibet incisum Carolvm V. Imp. cum septem Electoribus Imperii condam Romano-Germanici, eorumdemque Insignibus. Ligneum sclopi sustentaculum, nitide decoratum, ostendit Scutum alicuius familiae Germanicae cum anno 1676. atque literis I. C. H.

Ex Pavli Vörös *de Farád* Proaui sui armis ad Museum an. 1811. transtulit Fran. Vörös.

7) *Alius* priori, longitudine par, cuius fistula glabra est, nomenque artificis *Mathiae Märtl*, et annum 1647. indicat, manubrium vero ex duro ligno commode tornatum est.

Museum isto potitur ex oblatione Regio-Cameralis Fiscalis in Kula Casp. Kovácsics.

8) *Alius*, saeculi XVI. specialis formae, cuius fistula orichalco, manubrium ebore, et conchis margaritiferis caelatum eminet.

9) *Alius* eiusdem aeui, attamen minor priore. Singulari artificio, et ornatu praeditus, margaritiferis, et ebore nitidissime caelatus, tubo praeterea textili ductus (i. e. *gezohenes Rohr*).

Ios Erôs *de Bethlenfalva* vtrumque pretiosum instrumentum an. 1810. Musei armis addere haud aspernatus est.

10) *Tubus* pyrotechnicus artificialis, formam referens baculi ferrei. Si inferius dematur epitonium, superius autem nodus, ac horum loco attornetur manubrium, sclopus euadit.

11) *Alius* neutiquam eiaculandis glandibus plumbeis, sed excitando igni accommodus. Tubulus, et manubriolum aeneis lamellis vallantur.

Vtrumque instrumentum Mich. Meszetics eo loco reperit, vnde Cambucam §. *VIII. num.* 15. memoratam ad Musem tulit.

12-13) *Sclopelli* duo pretiosi manuales turcici, vulgo *Pistolettae*, operis sunt damasceni. Non minus tubuli, quam capula, argenteis, nitide caelatis, armillis ornantur.

Digitized by Google

Anno 1788. in expugnatione *Szabdchensis* propugnaculi Turcae ereptos, proxime extinctus Fran. Péter, Aulae Reg. Familiaris, et in Cumania maiore Assessor Palatinalis viginti aureis pro Museo redemit.

§. XI.

Pyrothecae.

1) *Pyrotheca* hungarica, attentione digna. Farturas enim obtegit tabula calybea mussiui operis, auro, argentoque caelatos exprimens Hungaros, scilicet equites, peditesque, frameis, sclopellisque inter se dimicantes, ac semet inuicem persequentes. Theca pendet ex taenia serici rubri duos digitos lata, intextis olim filis aureis.

Labor confirmat initium saeculi XVIII. quo tumultus Rákóczianus Patriam defoedauit. Verosimiliter pugnantes inter se Hungari illuc alludunt.

2) *Alia*, faturas operit per politam tabulam calybeam, in qua caelata varii generis arma, margines inauratae, vti etiam tres rosae auro tinctae fulgent.

Si typus spectetur pyrothecae, quem Breton in *Aegypten* Part. II. pag. 75. dedit huic similem, tuto asseuerari potest, istam in aliqua fabrica Turcica procusam esse.

3) *Theca* nitrati puluerís in forma pomi, cum longo cono ex ligno, quod Sycoromus dicitur, affabre caelati, olim fritillis, partim eburneis, partim margaritiferis decorati. Conus epitonio stanneo munitus est, pomo autem inferius lamina addita habetur pro basi.

Hanc ex saeculo XVII. operis esse asiatici, gustus caelaturae, et lignum contestantur. Ios. Eröss *de Bethlenfalva*, non modo hanc, sed etiam praemissas duas pyrothecas Museo nationali dicatas esse voluit.

4) *Alia* formae semilunaris turcica, argento nitide pelliculata.

Inuentam in arce Filekiensi an. 1819. Ant. Iankovich *de Ieszenicze*, compl. II. Comit. Tab. ud. Assessor in Museo ad domesticas raritates reponendam ratus est.

5) *Alia* semilunam efformans, obducta pelle crocodilli, et elatere aereo munita.

Istud saeculi XVII. fabricatum asiaticum effossum fuit *Szegedini* prope arcem, et a Steph. Vedres Museo cessum.

6) *Alia* eiusdem formae, sed minor ex orichalco, olim encaustico opere fabricata, perinde elatere instructa.

Digitized by Google

Breton in *Aegypten* Part. II. pag. 75. plures eiusmodi formas producit. Vnde coniectare fas est, hanc quoque saeculo XVII. a Turcis paratam esse. Ant. Hvszár Comit. Albensis Vice-Fiscalis repertam inter moeniorum rudera Albae Regiae Museo donauit.

7) *Alia* elegantis operis, ex ebore, cum aereo elatere, condam inaurato, vices epitonii supplente, forma repraesentans piscem, anteriore vero parte caput canis, quod quoquo modo vertatur, ita artificiose caelatum est, vt eandem in omni parte producat figuram.

Etiam est productum saeculi XVII. probabilius Augustanum, quod Museo obtigit per legatum Ios. Vitéz condam ad Excelsas Hung. et Transsil. Cancellar. Reg. Aulicas Iurat. Agentis Aul. I. Comit. Bihar. Tab. Iud. et ad Consistor H. C. Vienn. Assesoris.

8) *Alia*, recentioris operae ex nuce, ebore non inconcinne caelata, epitonio quoque eburneo prouisa.

Praeterito saeculo per Tornatorem Posoniensem efformata, a Steph. Marczibányi *de Puchó* comparata, et nunc ab eius successoribus Museo consignata.

§. XII.

Antiquae machinae bellicae, et Globi.

1) *Sclopetum* aeneum tres pedes longum in forma tormenti, cuius orificium, maiorem vna libra globum non recipit.

Huius idem olim fuit vsus, qui Sclopetorum §. *X. num.* 1. *et* 2. insinuatus.

2-3) *Machinae bellicae*, seu (vt aiunt) Tormenta supra duas orgias longa, perinde angusti orificii, duntaxat pro duarum librarum globis apti, prouisa, ex aere.

4-5) *Aliae* ex ferro fusae, eiusdem fere longitudinis, nec etiam minoris orificii.

6) *Globus* ferreus vnius librae.

7) *Dolium puluerarium*, quod Germani *Bombe* compellant.

8) *Globus* lapideus, cuius generis *Pixides* audiunt.

Omnia haec Lib. Reg. Ciuitatis Alba Regalensis Senator Mathaevs Kisling, in proprio fundo, ad portam Budensem, infra fundamenta moeniorum, mense Maio an. 1813. reperit, et suis sumtibus ad Museum deuehi curauit. Structura istarum machinarum bellicarum adeo rudis, et informis est, vt neuti-

Digitized by Google

tiquam dubitandum sit, eas ex prima inuentione, et fortassis a temporibus MATHIAE I. superesse, quem constat iam ad Szabáchium inter tormentorum explosiones sapide dormiuisse. Locus, in quo inuenta sunt, putatur platea lapidibus strata exstitisse, cum vestigia transeuntium curruum obseruata sint.

§. XIII.

Loricae, Thoraces, Galeae, Manicae,

1) *Galea* inaurata, et clathrata, qua olim vsus est GEORGIVS e Comitibus THVRZÓ *de Bethlenfalva*, Regni Hungariae Palatinus.

Istam, in arce Aruensi ab obitu Herois vsque an. 1812. asseruatam, cum annutu Compossessoratus Dominii Arua, fatis functus Administrator, FRAN. e Comitibus ZICHY *de Vásonkő* ad Museum translocauit. Viri suo aeuo famigeratissimi praeclara facinora sincere adumbrauit coaeuus ABRAH. HROCHOTIVS *in Oratione exequiali Ill. piae memoriae Comit. ac D. D. D. Georg. Thurzoni de Bethlenfalua, etc. etc.* 19. *Febr. an.* 1617. *dicta, et recitata.* 4. *Leutschou.* 1617. pag. 38.

2) *Alia* ferrea nimium rubigine consumta sine chlathris.

3) *Alia* alterius formae.

4) *Alia* etiam a prioribus dissimilis.

In BRETONII *Aegypten* Part. II. pag. 80. earum typi conspici possunt. Effossae sunt dudum in moeniis, et domibus Budae versus Christinopolim, quas cum pluribus aliis STEPH. MARCZIBÁNYI *de Puchó* collegit, successores autem ad Museum recipienda ordinarunt.

5) *Alia*, sine clathris, seu, vt aiunt, aperta (*offener Helm*) prouti praecedentes, nitide fabricata, in dorso contra gladii impetum bene munita.

6) *Thorax* integer, hoc est: cum parte anteriore pectorali, atque posteriore dorsali.

Duo haec frusta sunt in fabrica saeculi XVIII. Rákócziana cusa. Magistratus Lib. Reg. Ciuit. Kesmarkensis Museo addixit.

8) *Alius* etiam integer cum vtraque parte. Margines vtriusque bysso rubra vestitas fuisse, ex laciniis adparet; pectoralis pars in duobus locis glandis plumbeae stigmate signata est.

Isto armatus olim pro Rege, et Patria PAVL. VÖRÖS *de Farád* fortiter dimicauit; dispositione Abnepotis sui FRANCISCI Vörös nunc in Museo existit.

Digitized by Google

8) *Lorica* ferrea antiqua, rubigine infecta, hamata ex filis ferreis.

Hoc erat Sagum antiquissimum, quo se Hungari belli tempore vestiuerunt. Author plagularum *Hungari ad Hungaros* 4. *Viennae* 1796. iconem praefixit sago induti veteris Hungari. Museum Loricam istam an. 1815. accepit a Ios. Szilassy *de Eadem, et Pilis.*

9) *Alia* eiusdem formae, manicis adhuc integris.

10) *Caputium*, siue tegumentum capitis ad praecedentem loricam spectans, pariformiter ex annulis ferreis contextum, et operculo cupreo, quo sinciput contra ictus gladiorum defendebatur, aptissime inhamatum.

Oliger Iacobaevs *Musei Reg. Danic.* Part. II. Sect. II. Tab. II. num. 88. talismodi Caputii typum vulgauit. Isthoc cm Lorica, atque tympano tatarico *Sect. III.* § *I. num.* 2. superius in dicato, missum est a Magistratu Ciuico Carponensi, an. 1667. perinde caeteris spoliis adnumeratum.

11) *Aliud* breuius, repurgatum, perinde autem ferreo capitis operculo munitum.

12) *Manulea*, etiam ex ferreis filis complicata, ad custodiendum brachium contra hostis impetum.

Duo haec frusta an. 1768. in Vásonkö ex sarcophago Pavl. Kinisii cum gladio *Sect. III.* §. *V. num.* 4. insinuato, excepta fuere, et ab illustriss. Familia Comitum Zichy Museo resignata.

13-14) *Manicea* duae ferreae, brachiis affibulatae, sustinendis gladii ictibus accommodae.

Prostat earum figura apud Bretonivm *Aegypten* Part. II. pag. 80. Ad dona Fran. Vörös *de Farád* referendae, qui easdem inter Arma Pavli Vörös repertas ad Museum translocauit.

15) *Tunica* (Csuha) ex admodum vasto corio bubalino consuta, loramentis varii coloris exornata, praeterea quinque magnis aereis tintinnabulis orbicularibus instructa.

Talismodi tunicas ex corio bubalino passim gerunt apud Tataros illi, qui alicui manipulo hominum praesunt, in signum publicae distinctionis, et reuerentiae. Hac tunica an. 1789. in proelio ad *Martinyeste* indutum Antesignanum manipuli tatarici, miles ex Legione equestris ordinis Hungarici tunc *Barkoiana*, nunc Frid. Wilhelmi III. Boruss. Regis interemit. Solus quippe, et vnicus cum decem hominibus tam animose diu conflixit, vt, duobus glande plumbea, tribus gladio trucidatis, vno capto, quatuor in fugam coniectis, gloriosus cum hac praeda redierit, spectantibus eminus Praefectis militaribus. In memoriam fortitudinis, quam Petrvs Baloch, *Hatházino* Hajdonicali Oppido oriundus, generoso hoc actu palam contestatus est, communi consensu definitum erat, vt eadem Tunica inter impedimenta Legionis nunquam non asseruaretur. Sed an. 1812. chorus Officialium maioris securitatis caussa Museo nationali pro custodia admanuandam decreuit.

Digitized by Google

§. XIV.

Calcaria, et Stapiae.

1) *Calcar* latum ex ferro cum longo cono, et octogona acicula grandiore rubiginosa.

2) *Aliud* longioris coni cum minori acicula.

3) *Aliud* breuis coni sine acicula.

4) *Aliud* perinde breuis stili cum magna rotula duodecim acicularum.

Ista quatuor aquisita sunt ex Comitatu Heuesiensi a Ios. Orbán.

5) *Aliud* valde crassum, et latum cum admodum longo stilo, qui acicula caret. Effossum *Budae* in propriae domus suae cellario Director Musei ad antiquitates Hungaricas retulit.

6) *Aliud* tenue, stili, et aciculae loco armatum nodulo, parte aliqua per rubiginem iam consumtum.

7) *Aliud* rubiginosum, cuius stilus breuis instar claui cuspidatus est.

8) *Aliud* sat solidum, cuius stilum octogona acicularis rotula occupat.

9) *Aliud* fractum, cono tamen integro.

10) *Aliud* paruum, fracto cono aculeato.

11) *Aliud* etiam paruum, sed stilo acuminoso adhuc integro.

12) *Aliud* bene adhuc conseruatum cum rotula aciculata.

13) *Aliud* tenue cum stilo trium acicularum.

14) *Aliud* paruum, sed solidum cum breui stilo, cui affixa est rotula cum quatuor aculeatis lamellis.

15) *Aliud* magnum cum longo aculeato cono.

16) *Aliud* constans ex lata lamina cum breui acuminoso cono.

17) *Aliud* latum cum longo stilo, pendente quadruplici acicula ex eodem.

Oliger. Iacobaevs *Mus. Reg. Danic.* Part. II. Sect. III. num. 30. tum has, tum multas alias calcarium formas recitat. Ista duodecim schemata a num. 6 — 17. diuersae formae, diligenter olim in vineis Budensibus collegit, et an. 1807. Museo cessit defunctus Emer. Sebastianovich Caus. F. V. iurat. Aduocatus.

Digitized by Google

18) *Aliud* grande longo, altoque admodum cono, in gyrum sursum torto, instructum est, attamen sine acicula.

Repertum ad Vál in Comit. Albensi Ant. Hvszár Museo intulit.

19) *Aliud* cum longo cono, grandioribus aciculis, et duabus fibulis, quibus ocreae alligatum fuerit.

Istud quoque inter Pavl. Vörös *de Farád* arma hactenus asseruatum, Abnepos Fran. Vörös ad Museum transposuit.

20) *Aliud* breui quidem stilo, sed valde magna acicularum rota munitum, adiectis fibulis, per quas lorum ducebatur, vt ocreae adstringi potuerit.

Ant. Pintér *Vetero Budae* ad Cellas Marianas inuentum, a vinicola pro Museo nationali sua pecunia emit.

21) *Aliud* insolitae formae, admodum latum, cono breui, sed perinde lato, rotulaque maiori sex aculeorum praeditum.

Istud cum thorace, et galea *Sect. III. §. XIII. num. 5. et 6.* insinuatis *Késmarkini* pro Museo percepit Georg. Martin. Kovachich.

22) *Aliud* simplicissimae formae cum breui acuto cono sine rotula.

Inuentum in Comitatu Neográdiensi Marc. Szentiványi plurium Comitat. Tab. Iud. Assessor Museo largitus est.

23) *Aliud* sat magnum cum cono furcato trium dentium.

24) *Aliud* grande cum longo cono, et rotula aciculari.

25) *Aliud* syrmatis formam referens, atque conum cum rotula aciculari sursum protrusum.

Singula tria diuerso tempore, et loco inuenta sunt in territorio possessionis *Nagy-Kovácsi* Comitat. Pestiensis, ac inde a Petr. Benyovszky *de Eadem* ad Museum allata.

26) *Aliud*, cum quadruplici acicula, et stilo longo bene conseruatum.

Olim istud deseruiebat vsibus Georg. Szécsy, et hucusque latebat *Iolsuae* apud familiam Czibva, a qua pro Museo obtinuit Petr. Kvbinyi *de Felsö Kubin, et Déménfalva.*

27) *Aliud* cum fibulis, quatuor digitos latum, stiloque breui eiusdem latitudinis, qui dimidia acicula tantum armatus est.

28) *Aliud* minus latum, praeditum longo stilo cum acicula quadrangulari.

29) *Aliud* paruum commune, cum cono paruo, ex quo rotula decidit.

Digitized by Google

Haec tria inuenta sunt in syluae Bakonyiensis territorio, ad Dominium *Vgod* Comitatus Weszprimiensis spectante, nominatim in loco *Táborhely* dicto, quae Nic. e Comitibus Eszterházy *de Galántha* ad Museum nationale transmittere placuit.

30) *Aliud* rubiginosum mediocris formae, cono nimium vitiato.

Anno 1807. inuentum est cum cadauere, in lacu pone prata Dominalia Archiducalis possessionis *Acsa*. Sereniss. Archidux Iosephvs, Palatinus, Museo inferri iussit.

31) *Aliud*, communis formae, in cono, aciculae loco, nodum habet.

Ad Colocam an. 1820. e terra eiecto, locum Alexand. Borbély in Museo dedit.

32) *Aliud* cum longo stilo, et sat, superque magna acicula.

Inuentum an. 1820. in sylua possessionis *Kelêtsény* Comitatus Nitriensis, ad Museum pertigit per Steph. Bvzinkay *de Eadem*.

33) *Aliud* cum grandiore rotula, in reliquo communis formae.

Inuentum in collimitio pagi *Csákoháza* Comitat. Iaurinen. Museo dedit Adalb. Brestyenszky O. S. Bened. AA. LL. et Phil. D. in Reg. Acad. Iaurinen. Math. purae, et adplic. P. P. O.

34) *Aliud* oblongi stili, cum sexagona rotula, commode conseruatum.

Effossum in territorio *Rozgoniensi* ad Cassouiam, Museum an. 1821. percepit a Car. Szepesházy in Districtu Cassou. substitut. Prouincial. Commissario, et complur. I. I. Comit. Tab. Iud. Assessore.

35) *Aliud* magnum, simili cono cum sex aciculis munitum, ex Ó Gyallán.

Ab Ant. Szabadhegyi Com. Comárom. Ord. Iud. Nob.

36) *Aliud* aciculatum breuis stili.

37) *Aliud*, duntaxat fragmentum est, cuius stilus desideratur.

38) *Aliud* rotunde tornatum, cono incuruato, cum rotula quatuor acicularum, caret vitio.

Ista tria in agris pagi *Rákos - Keresztur* ad Pestinum collecta sunt, quae an. 1807. Baronissa Elisab. Bvjánovszky nata Podmaniczky Museo submisit.

39) *Aliud* mediocris formae potitur rotula denticulata.

Ios. Schiesl Postae Magister in *Alibunár*, in Confiniorum Temesiensium possessione repertum Museo contulit an. 1810.

40) *Aliud*, mediocris formae, longo stilo, et parua acicula prouisum.

Inuentum in Comit. Bácsien. Oppido *Kulin* R. Cameral. Fiscalis Casp. Kovácsics Museo conigauit.

Digitized by Google

41) *Aliud* sat latum, breui cono, et sexagona acicula armatum.

Fran. Péter nuper fatis functus ex *Halas*, Oppido Cumanicali Museo submisit.

42) *Aliud* magis rotundum, quam latum, stilo tenui, sursum porrecto, cum rotula sex acicularum.

Ex oppido priuilegiato Camerali *Sz. Endre*, repertum in vineis, tulit Parochus Loci Ios. Grüller.

43) *Aliud*, tres digitos latum, cum decem digitorum longo stilo, et octo acicularum rotula, vtrinque fibulis armatum, et bene conseruatum.

Inuentum in Comit. Pestiensis Praedio *Pánd* ab Archiduce Iosepho Palatino Museo cessum.

44) *Aliud* eiusdem fere cum priori formae.

Inuentum inter rudera dirutae arcis Iaurinensis an. 1821. et a Postae Magistro Georg. Spiro oblatum.

45) *Stapia* parua, rubigine exesa.

Lad. Tihanyi *de Ebeczk*, complur. II. Comit. Tab. Iud. Assessor Museo tradidit.

46) *Alia* magna, et sat olim lata, nunc vetustate consumta.

In *Táborhely* effossam Comes Nic. Eszterházy *de Galántha* cum Calcaribus *num.* 27. 28. et 29 memoratis, horsum misit.

47) *Alia* non informis, etiam facile duorum saeculorum, atque fragilis.

Inuenta in *S. Andrea* supra Budam, et percepta a Casp. Pajor *de Tóth-Liptse*, complur. II. Comit. Tab. Iud. Assessore.

48) *Alia*, formae, et fabricae Turcicae ad omnem pedum commoditatem ex lamina ferrea confecta, et auro opulente illinita.

Oblata a Comite Ant. Pejacsevich *de Veröcze*, S. C. et R. A. M. Camerario, ex Ruma. Bretonivs in *Aegypten* Par. II. pag. 84. eius typum exhibet.

§. XV.

Instrumenta castrensia.

1) *Axis* currulis ex ferro duos pene centenarios ponderans, adhibita ad vectorium, cui machinae bellicae incumbebant, multum rubiginosa.

Digitized by Google

Matthe. Kisling hanc *Albae Regiae* in eodem loco reperit, in quo machinas bellicas, §. XII. recensitas, inuenit. Ista sane argumento est, pro definienda antiquitate supra memoratorum tormentorum: ignota scilicet adhuc tum fuisse vehicula, quibus hodie de loco in locum machinae celeriter feruntur, eadem cum ingenti onere adhibita axis confirmat. Nec dubitandum proinde est, tum axim, tum machinas bellicas esse reliquias saeculi XV. Accedit, quod anno careant. Obseruantibus Antiquariis, tormenta, quibus nullus adpositus est annus, saeculum XVI. praecedere.

2) *Ahenum* tataricum maius ex cupro cum ansa ferrea.

Est adhuc bene conseruatum, et ad eandem formam fabricatum, quam in Crimensium Tatarorum ahenis reperit Rechenbergivs *Costumes des Peuples de Russie* Tom. I. Tab. XXXI. Effodit istud cum pluribus aliis Valachus prope *Hoszu-Mezõ* in Marmatia, vbi Tataros in Hungariam primis saeculi XVIII. annis irrumpentes, ad internecionem caesos, narrant Annales. An. 1807. Magistratus Prouincialis isthoc schema ad Museum transposuit.

3) *Calybs* insolitae magnitudinis, formae triangularis, cordis figuram repraesentans, excutiendo fortasse in castris igni accommodus.

Est eodem tempore, et in eodem loco cum memorato aheno repertus, ac per Magistratum comitatus Maramarosiensis ad Museum expeditus.

4) *Statera* antiqua Hungarica, pendentibus ex pertica lignea, duos pedes longa, ponderibus ferreis. Perticae rudi manu incisus est numerus Librarum.

Statera haec est ex reliquiis tumultus Rákócziani, inuenta vero in arce *Munkács*; cuius generis hinc, et inde plures repertae fuerunt: deseruiebant ad ponderandas, vt aiunt, orales portiones militum, scilicet, foeni, auenae, farinae, etc. Defunctus Pavl. Morvay *de Alsó-Draskócz*, olim S. C. et R. A. M. Consiliarius, et I. Comitatus Bereghiensis Ord. Vice-Comes eandem longo tempore tenuit, donec ei locum in Museo nationali inuenisset.

5) *Tibia vtricularis*, alias Lyripipium, Hungaris *Duda*, Germanis *Lulen*, vel *Dudelsack*, aut etiam *Sackpfeiffe*, Graecis ἀσκαυλος, a forma instrumenti sic dicta. Repraesentat enim saccum ex consuta pelle caprina, iunctum passim quatuor tubis, ex ligno cum quinque foraminibus, instar syringae, certo ordine defixis, quorum vnus incumbit humero, per quem machina ventum recipit, et vter intumescit, vt inflari, et sonum edere queat.

Antiquissimum instrumentum musicum, quod nonnulli duntaxat Vngaris proprium esse, perperam existimant. Fuit enim omni tempore populis belligerantibus familiare, et fortassis minimi artificii. Schatzivs *Antiquit Graec. et Rom. Lib. V. cap. II.* §. 4. ostendit illo Romanos delectatos fuisse, et *Tab. CIIII. fig.* 43. et 44. formam exhibet, quae hungarico lyripipio prorsus affinis est. In exercitu Hungarico olim consuetudo viguit, ad milites animandos tibia vtriculari canere, praeprimis, quum in castris otiosi versarentur, itinera facerent, aut aduersus hostem progrederentur, mixto quoque vocali cantu. Hodie quidem iam instrumentum musicum euasit in pagis rusticorum, in campis Pastorum, attamen nulla adhuc existit Legio vngarica, quae Vtricolario suo destitueretur. Museo nitide confectum obtigit ab illustri viro, qui nomen suum non indicauit.

Digitized by Google

§. XVI.

Tropaea.

1.) *Aquila* vniceps, expansis alis ex plumbo deaurato fusa, grandioris formae, decerpta ex curru Triumphali *Napoleonis*, qui iussu trium Augustissimorum Europae Pacificatorum e Propyleo per Pyrobolarios Hungaros deiectus, et, spectantibus Gallis, Lutetiae Parisiorum in minutissima fragmenta contritus fuit, vnice hac Aquila, cum annutu FRANCISCI I. Imp. et Regis, salua permanente, vt ad Museum nationale Hungaricum deportaretur.

Napoleon vana affectatione Romanos in omnibus aemulari voluit, sed, quae agenda suscepit, inquit CALPVRNIVS Eclog. VI. v. 5. – – – – *sustulit omnia Victor.* Monumento huic in Museo publico conspectui exposito D. STEPHANVS HORVÁTH sua pecunia Basim fieri curauit, Director autem nationalis Instituti addidit epigraphe: *Fragmentum. E. Curru. Triumphali. Galliarum. Vsurpatoris. Ab. Hungarica. Phalange. Pyrobolariorum. Járossianorum. Gloriose. In. Patriam. Reduce. Ad. Perennem. Rei. Fortiter. Pro. Defensione. Solii. Regum. Et. Libertate. Populorum. Gestae. Memoriam, Museo. Nationali. Hungarico. Dicatum. MDCCCXVI.*

Digitized by Google

SECTIO QVARTA.

Antiquitates Graecae, et Romanae.

§. I.

Statuae aereae.

1) CHRISTVS Saluator, in altitudine sex digitorum, ex aere minus polite formatus, corpore nudus, circa femora praecinctus fascia, prout videlicet, teste NICEPHORO, ad locum supplicii deductus fuit, praeterea facie aliquanto longiore, capillis, atque barba mediocriter promissa, spinea Corona redimitus, pede dextro circa genu paululum inflexo, dextra manu volam ostendens, sinistra Calicem tenens. Insistit aereae basi quadriformi, cui tria signa, vel literae, fortassis arabicae, *Z21* incisae conspiciuntur.

Literas has serius impressas suspicor, nisi me oculus fallat. Sub Calice autem mihi textum intelligere videor MATTHAEI *Cap. XXVI.* v. 26. 27. et 28. Saluator enim coenaturus cum discipulis, accepit Calicem dicens: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Etsi labor nequaquam peritam loquatur manum, Statua tamen ista ob raritatem inaestimabilis est: referenda enim censetur ad prima aerae christianae saecula, quibus Sacerdotium, vt paganos a cultu idolorum reuocaret, in aedibus neophytorum simulacra Saluatoris substituit, eiectis e domo variis imaginibus falsorum Deorum, perhibentibus OROSIO, EVSEBIO, THEODORETO caeterisque Historiae Ecclesiasticae Scriptoribus. Statua haec olim in Syrmio e terra eruta, diutissime pro idolo ethnico habebatur, donec in manus incideret denati Excell. ANT. MANDICH S. C. et R. A. M. Consiliar. act. int. stat. et Ecclesiar. Bosn. seu Diákovárien. et Sirmien. Episcopi, post cuius mortem ab Excel. Camera R. Hung. Aul. Museo nationali abdicata fuit.

2) *Atlas* ex plumbo in altitudine sex digitorum, affabre, effigiatus, in forma Senecionis, promissa barba, tecti pileolo, manibus in latera positis, pede sinistro modice

Digitized by Google

inclinato, sursumque leuato, capite ad pectus vsque demisso, quasi pondere fractus esset. Nam, asseuerante VIRGILIO, *Aeneid.* Lib. VI. v. 797 — *coelifer Atlas axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

Apud ALBRICVM inter *Auctor. mythogr.* pag. 936. Atlas erat Gigas, qui in altissimo monte, Coelum ipsum contingente, ne caderet, humeris sustinebat, et sidera, si quae cadebant, malleo fixa Coelo reponebat. Ea de caussa habitus est pro peritissimo Astrologo. Inuentus profundissime sub limo ad pontem Eszekiensem, sed a sordibus nitide repurgatus, pedibus vitiatis, Episcopo MANDICH oblatus, post eius obitum a Camera R. H. A. Museo consignatus.

3) *Marsias*, de quo CLAVDIANVS in Eutrop. Lib. II. cecinit fabulam:

Hic cecinit Lybicis iactata paludibus olim
Fistula, foedatam cum reddidit vmbra Mineruam.

non contemnendo labore ad altitudinem sex digitorum effictus, humi sedet auribus asininis, truncatisque pedibus, et brachiis, vultu doloris affectum non obscure adperit.

De hac minus obuia Statua erudite disserit ROSINVS *Antiquit. Romanar.* Lib. I. ad Cap. XIII. Paralipom. HYGINVS fabul. CLXV. *Auct. mythol.* pag. 279. dicit, Marsiam ab Apolline Scythae traditum, vt dilaniarctur, OVIDIO contra *Metamorph.* Lib. VI. v. 380. tenente, Satyrum ab ipso Apolline excoriatum esse, quam fabulam confirmat gemma a BEGERO *in Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 96. aeri incisa. Statuae huic Musei correspondet PALAEPHATI *de Incredibilibus* narratio, qui edition. Lipsien. Fischerianae pag. 185. Marsiam, non Satyrum, non Faunum, sed Rusticum, et Pastorem nominat. Talem sane haec Statua imberbem refert. Appulit ex Bosnia ab Episcopo AVGVST. MILLETICH.

4) *Terreus* Thraciae Rex, de quo Poetae fabulantur, quod illi Philomela, Pandoris filia, quam in itinere vitiauit, linguam exciderit, ne crimen eloqui posset. Effigiatus est nitidissime ad altitudinem quinque digitorum, ex tenui aeris corinthiaci lamella, interne caua, in forma viri sago induti, stola praecincti, compositisque infra pectus manibus, super basi consistentis.

Quod rarissimam hanc figuram, olim in Sclauonia prope Monasterium Calugerorum Gergetekense inuentam FRAN. VÖRÖS *de Farád* Museo cesserit, rem gratissimam fecit.

5) *Socrates*, valde rudis operis, in altitudine quatuor digitorum, denudato corpore, sinistra manu vasculum servans, dextra poculum, veneno repletum, ori admovens.

Figura, multum per vetustatem vitiata, ad *Velencze* in Comitatu Albensi ab ANT. HVSZÁR reperta, et Museo abdicata, explanatur apud BELLORIVM *Veter. illust. Philosophor. Poetar. Rhetor. et Orat. Imaginib.* Part. II. pag. 17.

6) *Osiris*, qui fingitur Saturni, vel Iouis filius, expressus est in statua, quinque digitos alta, imberbis, et tegumento capitis turrito, praeterea toga, terram verrente, vestitus, compositisque ad pectus manibus, clauam tenens.

Multum affinis est figuris num. 3. et 5. apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXV. propositis. InP. MILLERI *Chrestom. Ouidiana* ad voc. *Osiris.* PLVTARCHVS originem nomenclati-

Digitized by Google

onis ab Aegyptiis repetit, apud quos *Multioculum* denotat. A Typhone occisum Ovidivs *Amor.* Lib. II. Eleg. 13 v. 12. *pium* vocat; inquiens — *tua sacra pius semper Osiris amet.* Statuam hanc integre seruatam ex *Sár-Pentele* Museum a Fr. Vörös *de Farád* accepit.

7) *Meleager*, Hic Ovidio *Metamorph.* Lib. VIII. pag. 428. venator fuit, qui

Protinus exuuias rigidis horrentia setis
Terga dat, et magnis insignia dentibus ora.

confecto scilicet apro regioni infesto. Effigiatus ad altitudinem vnius pedis, facie iuuenili, corpore nudo, exuuiis a sinistro humero pendentibus, et trans manum volutis, pede sinistro modice inflexo, manu dextra in latus suffulta, demisso capite, truncum censoria grauitate intuendo, magnanimus consistit.

Elegantis formae statuam, Cremnicii e terra erutam, pro Museo redemit Lvd. Benitzky *de Benitz, et Mitsinye.*

8) *Alius* duos pedes ferme altus, cum omni exactitudine formatus, in reliquo autem praecedenti ex toto simillimus, ac optime conseruatus.

Figuram hanc, adaequate similem, Schiatzivs, *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. II. num. 5. exhibet. Fabulam vero de Meleagro breuiter Gavtrvche *Hist. Poet.* Lib. II. cap. III. enarrat. Ab eius nomine aues dictas esse *Meleagrides* perhibet Ant. Liberalis cap. II. pag. 7. in editione Lug. Batauina 1674. gr. et lat. in 12.

9) *Equeias*, equatiorum Dea. Monumentum fortasse vnicum, quod cum inscriptione latina *Equeias* hactenus eruditis innotuit. Cum graeca *IIIONA*, vel *EIIONA* iam plures inuentas esse, Antiquarii non ignorant. Haec ex aere corinthiaco concinne fabricata, cuius interior cauitas plumbo repleta, pedem altitudine superat. Repraesentat caput foemineum vitta opertum, in fronte cornutum, pectus tunica vestitum, dependentibus brachiis, attamen sine manibus, quasi vel reconditae, vel abscissae essent. Inferius loricae incisum est: EQVEIAS.

Statua haec an. 1804. extracta fuit ex puteo *Mitrouicii* in Sirmio, et ad Cancellariam Limitaneae Legionis Petrouaradiensis reposita, mox a Ioan. Mathizovich Canon. Diakovár. impetrata pro de nato suo Praesule Ant. Mandich, a quo pro Museo Sereniss. Archiduci Iosepho Palatino an. 1811. missa fuerat. *In Actor. Literar. Musei Nat. Hung.* Tom. I. pag. 295. — 310. extat sub nomine Ant. Halicz-ky de eadem *Equeiade* Commentatiuncula. Huic sua adiecit sensa amicus meus, Mediolanensis Numophylacii Caes. Regii Director, Caietan. Cattaneo in sua splendidae editionis Dissertatione: *Equeiade monumento antico di Bronzo del Museo Nazionale Ungherese, considerato ne suoi Rapporti coll Antichita figurata.* 4. *a Milano* 1819. existimans, hanc pro pondere adhibitam fuisse. Visus enim est sibi videre supra caput idoli fragmentum vnci, ex quo pendebat. Verum mihi illud saepenumero examinanti, nunquam aliud adparebat, quam cornu, quale in Statuis Dianae occurrit. Longe certe solidiorem oportuisset vncum esse, vt pondus decem, et amplius Librarum sustineat, quam fragmenti vestigia ostendant. Sed, concesso, quod ponderis vices Protome subiuerit, quis, quaeso, definiuerit, quod huius interna vacuitas a Romanis plumbo repleta sit? An non a Christianis ad hunc vsum accommodari potuit? Quidquid horum sit, monumenti raritati neutiquam officit, seu in stabulo equisonum cultui expositum fuit, seu partes ponderis suppleuit. Museum potitur etiam Iunonis capite cum ansa, quod probabilius ex statera pendebat.

Digitized by Google

10 — 13) *Anubis*, sex digitos altum idolum aegyptiacum, a Graecis, et Romanis adoptatum, in Hungaria haud infrequens, capite canem, corpore nudo hominem refert, scilicet, vt versus: *semicanemque Deum, semihominemque canem*, manu dextra ad pectus, sinistra ad femur posita.

Hoc signo aliqui Mercurium notari autumant, quia nihil cane sagacius. Alias etiam ab Ovid. *Metamorph.* Lib. IX. v. 689. *latrator* nominatur, ac quidem *verendus*. Amor. Lib. II. Eleg. XIII v. 11. inquiens: — — *precor per Anubidis ora verendi.* Figuram illius vulgauit Griselini *Geschich. des Temesvár. Banats* Tab. III. fig. 4. Museum quatuor exemplaria possidet, sed omnia rudis operae, nec aliud existimandum, quam, quod singula, ex vna, eademque fabrica in apricum prolata sint. In Promontorio Csepeliensi inuentum dedit Ioan. Stermenszky L. R. Ciuitat. Budensis Senator, alterum ex agris Vetero Budensibus tulit denatus Fran. Retteg, Med. D. et Comit. Pestien. Ord. Physicus, tertium ex ruderibus Mitrouiczensibus perceptum est ab Episc. Mandich, quartum ex horto Tatensi a Casp. Ordódy *de Lieszko* Comit. Comárom. Ord. Iud. Nobilium.

14) *Hercules* aereus in altitudine octo pollicum, densa barba, crinibusque in capite spissis horridus, extenso tantisper sinistro brachio, adpensam tenet pellem leoninam, ac tria mala hesperidum vola comprimit, corpore autem modice in laeuam partem inclinato, pedem quoque sinistrum infra genu introrsum torquet, atque protenso femore dextro, nodis iuflexae clauae expansam dextram nixatur.

Figuram Herculis, huic adaequate affinem, ex numo produxit Cariophilvs *Diss. epistolar. de Therm. Herculan. nuper in Dacia detectis.* pag. 79. Statua, iudicio artificum, ad omnes regulas artis plasmaticae exactissima, indubie ex aeuo Traiani, reperta est ad *Mehadiam* (vbi hodiedum thermae Herculanae existunt) inter arua *Siniczensia*. Anno 1793. Anglo, per Banatum iter facienti, tanti visa est, vt C. E. Csanádiensis olim Praeposito Ernesto Nevmann, qui eam possidebat, liberale pro ea offerret pretium. Post obitum Praepositi in auctione publica redemtam, Ant. Kiss *de Ittebe* Serenissimo Archiduci Iosepho Palatino an. 1803. pro Museo obtulit. Extat aeri incisa in I. F. Miller *Hercule Mehadiensi animaduersionibus criticis illustrato.* 8. *Pestini* 1806.

15) *Alius*, septem digitos altus, negligenter fabricatus, crispo capillo, et barbatus, sinistra manu clauae innixus, pedeque sinistro antrorsum posito, sub dextro humero leonis pellem admodum crude formatam tenet.

In hac Statua, quae indubie procusa est, quum artes apud Romanos defecerunt, si clauam excipias, caetera eius attributa, scilicet mala hesperidum, pellis leonina, distingui nequeunt. Duntaxat clava determinat figuram. Nam *Herculis armata est inuicti dextera claua.* V. Antholog. vet. Lat. Poet. Tom. II. Lib. V. epig. XIX. p. 496. Effossam in Comit. Alben. Praedio *Pentele* dedit Fran. Vörös *de Farád.*

16) *Alius* priori ad vnguem similis.

Etiam inuentus in Comit. Alben. ad *Adony*, Clauam habet commode effictam, de qua notum est prouerbium: *Herculis clauam repercutere.* Ad Museum transiit ab Ant. Kiss *de Ittebe.*

17) *Alius* in altitudine quatuor digitorum, pedibus transuerse positis, pelle leonina tectus, clauae incumbens, manu sinistra post tergum proiecta, dextra autem ad femur demissa, corpus fatigatum tantisper in partem dextram inclinando, consistit.

Digitized by Google

In hac figura poma hesperidum desiderantur. Haud tamen Claua deest, de qua MACROBIVS *Saturnal.* Lib. V. impossibile esse ait: *Ioui fulmen, Herculi clauam, Homero versum subtrahere.* Antiquarii obseruarunt, in Hungaria huius formae Statuas iam plures inuentas esse in locis, vbi calidae sunt aquae, et thermae. Haec quoque ad *Almás* in Comitatu Comáromiensi effossa, per IOAN. FOKOS ad Museum venit.

18) *Alius* priori adaequate conformis.

Repertam in Comitatu Thuróczensi ad thermas *Stubnenses* dedit LAD. L. B. de RÉVA Perp. in *Szklabina*, et *Blatnicza* S C. et R. A. M. Camerarius. Figuram huius Statuae vulgauit GRISELINI in *Geschichte des Temescher Banat.* Part. I. Epist. 9. pag, 85. Tab. III. fig. 2. Id certum, in regione ad Mehadiam plures iam Hercules, diuersae formae ex aere, et ex marmore e terra erutos esse. HOLLE in sua *Mythologia* Lib. III. cap. II. docet sub Hercule latere Samsonem.

19) *Iupiter tonans*, κεραύνιος nominatus, a vibrando fulmine, quod ei proprium esse, VIRGILIVS *Aeneid. Lib. I. v.* 229. docet:

..... res hominumque Deumque
Aeternis regis imperiis, et fulmine terres.

barbatus, protensa dextra fulmen, sinistra, in altum vibrata, symbolum imperii, h. e. sceptrum praeferens, vultu secus viuido, admodum nitide expressis musculis, ad altitudinem nouem digitorum fabricatus. Si per vinicolam, quum inter vineas Szent-Endreenses effoderetur, ligone in pede dextro, et manu sinistra vitiatus non fuisset, magni esset pretii.

Quum Iupiter Rex hominum, et Deorum Pater diceretur, fulmen illi soli concessum fuit. Ea de caussa APOLLODORVS *Biblioth. Lib. I. cap.* 6. eum ore, oculis, naribusque terribilem depinxit. Sceptrum, quod sinistra manu stringit, cupressinum est. Variis gaudebat nominibus, modo Zevs, modo Hammon, et iterum Diespiter appellabatur. CICERO *de nat. Deor.* Lib. I. cap. 21. tres dicit fuisse Ioues. Affinem huic Statuae figuram videre licet in *Antiquita d' Ercolano.* Tom. VI. Tab. II. pag, 3.

20) *Alius* ad altitudinem quatuor digitorum non satis perita manu effigiatus, vultum senilem, capillitio, et promissa barba exhibet, nudum corpus in dorso tegitur pendente pallio ex sinistro humero, manu sinistra aquilam ostendit, dextra, in altnm erecta, fulmen gerit.

Iconem huius aeri incisam dedit SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. IV. fig. 3. Aquila in aliis plerisque statuis pedes stipat, quae a Poetis vocitatur *Iouis armiger ales.* Pallium ab aetate DIONYSII SICVLI ei laneum pictores dederunt, antea auro, floribusque distinquebatur. Tum hanc, tum praecedentem Museo despondit FRAN. VÖRÖS *de Farád* ex *Föveny.*

21) *Caput Iouis* opertum Cappa Phrygia aduncata, formatum pectoretenus, in altitudine vix duos digitos superans, vultu senecionem monstrans.

Huic, perquam raro, affine habetur in *Bronze di Ercolano.* Tom. I. Prefaz. pag. XXXVII. Tav. I. Museo intulit Comes LEOPOLD. ANDRÁSSY *de Krasznahorka, et Csik Sz. Király*, S. C. et R. A. M. Camerarius.

Digitized by Google

22) *Satyri* duo cornipedes, corpore caeterum humano, qui pegasis insidentes, capite Iouis Hammonis intermedii ambonem sustinente, adeo affabre iunguntur, vt vnum opus ad tres pedes in longitudine protensum, et fonti salienti accommodum, constituant.

Ad similitudinem picturae in *Herculano* Tom. V. pag. 273. effictum Opus, effossum est Budae in via regia, vbi nunc Xenodochium F.F. Misericordiae locatum habetur. Museo cessum a successoribus Steph. Marczibányi *de Puchó*. Satyri a veteribus passim ad opera fontana exornanda adhibebantur. Poetae enim finxerunt *Naiades*, fontium Deas, a Satyris adamatas esse, teste Ovidio Ex Ponto Lib. IV. Epist. XVI. v. 25. *Naidas a Satyris caneret Fontanus amatas.*

23) *Faunus* bicornis: (cornu enim characteristicum esse asserit Ovidivs Fastor. Lib. II. v. 268. ..... *Fauni sacra bicornis eunt.*) sex digitos altus, nudo corpore, inflexo stat pede sinistro, in laeuam partem inclinatus; brachium sinistrum desideratur, dextrum ad femur vsque demissum tenet, manu, dum effoderetur, truncata.

Statua effossa est in Comitatus Posoniensis oppido *Dévény*, et Museo obtigit ex legato Ios. Kis. Pictores Faunum, et Syluanum eadem, qua Satyros, forma exhibent; Poetae eos agris, et Syluis praeesse finxerunt. Plinivs *Hist. Natural.* Lib. VIII. Cap. 12. genus fuisse Simiorum contendit.

24) *Pan* eleganter ad nouem digitorum altitudinem effictus, cornibus in fronte prominentibus, caluo syncipite, strigosa barba praeditus, manu sinistra trunco imposita, hirsuto pede antrorsum locato, dextra manu auim tenet.

Parum differt ab icone, quam Pomey in *Panth. mythолog.* pag. 159. vulgauit. *Pan erat armenti custos, Pan numen equarum*, inquit Ovidivs *Fastor.* Lib. II. v. 277. qui Capri speciem assumsit, fabulantibus Poetis, vt Giganti Typhoeo se opponere posset. Speciale in hac Statua est, quod loco scuticae, vel fistulae, teneat dextra auim. Museum hanc perraram duobus aureis redemit. Labor, et aerugo confirmat antiquitatem, probabilius ex aetate Traiani, ex qua pulcherrima supersunt monumenta.

25) *Cupido*, vel *Amor* in altitudine trium digitorum nitide formatus, nudo quippe corpore, alis praeterea, et pharetra munitus. Nam *pharetratus — dat puer oscula matri*, ait Ovid. Metam. Lib. X.

Cupido, filius Veneris, dubio patre, et alio nomine *Amor*, pictus, aut in statua formatus semper inuenitur in figura suauis pueri parui. Pharetra praecipuum eius est attributum, vt sagitta amantem ferire possit. Exiguum hoc vetustatis monumentum in ripa Tibisci ad *Tisza-Vjlak* Comes Leop. Andrássy *de Csik Sz. Király, et Krasznahorka* Museo largitus est. Prostat icon in gemma apud Beger, *Thesaur. Brandenb.* T. III. p. 201.

26) *Alius* dormiens, affabre politus, aptissime musculatus, cumbit in strato supinus, suppositis infra caput manibus, traiecto vno pede trans alterum, vtrumque femur monstrat nudus, quia *nudi pinguntur Amores*, tamquam symbolum.

Splendidae Drackenbrochianae C. Silii Italici in 4. Traiecti ad Rhen. 1717. editioni pag. 518. insertus marmoris antiqui typus hanc dormientis Amoris figuram proxime exprimit, quo fortassis Commentator interpretaturus erat versiculos Lib. X. v. 555.

Digitized by Google

— — — — — — — — *quatit inde soporas*
Devexo capiti pennas, oculisque quietum
Irrorat. — — — — — — — —

Propius adhuc accedit icona in *Gallerie di Firence*, Fasciculo XII. Erutam hanc profunde e terrae visceribus elegantem Statuam in *Szöny* Fran. Vörös *de Farád* ad Museum reposuit.

27) *Gladiator* in altitudine quatuor digitorum, cum animositate ad dimicandum dispositus, lorica indutus, protensa manu, quae pugionem desiderat, haud inconcinne effiguratus.

Hac plane forma Ivst. Lipsivs Saturnal. Sermon. Lib. II. pag. 520. in Tom. III. *Oper. omnium fol. Antuerp.* 1637. exhibet Gladiatores, Germanis hodie *Fechtmeister* dicuntur. Hi enim pertinebant ad armidoctores, quorum Vegetivs *de re Milit.* Lib. I. Cap. XI. XIV. etc. meminit. Museum raram hanc statuam aureo redemit.

28) *Lixa* in forma bacchantis Genii effictus, bene conseruatus, quatuor digitos altus, corpore nudus, capite cornuto, fascia coronatus, in dorso alas gerens, sinistra manu sustinens ampulam, dextra cochlear ostendens.

Statuam hanc, rarioribus adnumerandam, inter vineas Szent-Endreenses inuentam, Museo Ios. Grillер procurauit. Lixas in exercitu fuisse frequentes, constat ex Vegetio *de re Milit.* Lib. I. Cap. X. qui coctos cibos militibus vendiderunt. Praeterea Valer. Maximvs Lib. II. cap. VII. §. 2. de Q. Metello Numidico Cos. perhibet: *protinus namque lixas e castris submouit, cibumque coctum, venalem proponi vetuit.* Et Ammian. Marcellinvs *Rer. gestar.* Lib. XXVIII. cap. 4. ait: *namque statuerunt, ne lixae proponerent cibum.* Inde ergo, sublatis in exercitu Romano lixis, in eorum ludibrium enatae sunt bacchantes Figurae.

29) *Priapus*, Deus alias hortorum, atque portuum, quatuor digitos altus, habitu Hortulani vestitus, breui scilicet tunica, et ocreis, pileolo rotundo tectus, collarique praecinctus, penem producit erectum.

Obscoenam hanc figuram non nemo ex Comitatu Vgocsensi ad Museum relegauit. Poetae de Priapo diuersimode commentati sunt. In P. Milleri *Chrestomath. Ouidiana* ad voc. *Priapus* eius facta narrantur. Ab eius nomine *Priapeia* dicuntur obscoena Carmina. Talis quippe collectio est: *Priapeia siue diuersorum Poetarum in Priapum Lusus.* 8. *Patauii* 1664. Infame illius simulacrum exhibetur in Begeri *Thesaur. Brand.* Tom. III. pag. 266.

30) *Diuae Iuliae* Protome, capillis in nodum contortis, coniunctum aeripedi laciniis decorato.

Plures in Historia Romana *Iulias* memorari ex Svetonio notum est. Hanc repraesentare Augusti filiam, Tiberii vxorem, ex numis, qui prostant, exploratum habetur. Vide Mich. C. Wiczay *Museum Hederuarium. Tom. II. in* 4. *Vindobonae* 1814, quod Barnabita Felix Carroni concinnauit. Aduecta est ex Bosnia ab Avg. Milletich.

31) *Nereis* in altitudine duorum duntaxat digitorum, affabre quidem efficta, sed per vetustatem nimiopere corrupta, monstro marino insidet, et in vtraque manu piscem ostendit.

Digitized by Google

Effossam hanc parui moduli statuam in Confiniis Croatiae militaribus *Sisseck*, veterem scilicet Romanorum Sisciam, PAVL. BITTROFF Museo immolauit. Nymphas, quae maribus praesunt, *Nereides* nominari, HOLLE *Mythолog.* I. *Part. Cap. III.* docet, a Nereo Deo marino. Inde Ouidianum Amor. Lib. II. Eleg. XI. v. 36 *Nereidesque Deae, Nereidumque pater.* Apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. VIII. et XXI. complures huius generis typi existunt.

32) *Victoria*, quatuor digitos alta, toga longa corpus tegitur, alis instructa est, coronam turritam capite gerit, manum sinistram laurus armat, dextrum brachium, quo vexillum ferebat, vel Coronam tenebat, desideratur.

Conformis est figurae 4. quae in Tab. XXXV. apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Rom.* proponitur. Inuentum in Comitatu Tolnensi ex *Kömlöd* ad Museum misit SAM. KOSSA-MAGYARI eiusdem Comitat. Tab. Iud. Assessor. *Victoriam* Poetae finxerunt, teste HORATIO *Sermon. Lib. I. Eclog. I. v.* 8. Deam nullo non tempore *laetam*, et VIRGILIVS *Aeneid.* Lib. XII. v. 187. Marti adiungit: ——— *adnuerit nobis Victoria Martem.* Inde in prouerbium abiit HORATII *Epistolar.* Lib. I. ep. XVIII. v. 64. precatio: — — — *velox Victoria fronde coronet.* Confer quoque icona in BEGERI *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 286.

33) *Flora* sedens, canente T. CALPVRNIO SICVLO Eclog. III. v. 32.

..... *comas pallenti gramine spargit*,

in altitudine quatuor digitorum, longam gerens togam, vtraque manu flores ferens. Bene conseruata est.

Erutam e terra in Sirmio ad *Petrovcze* Cam. Reg. Hung. Aul. cum reliquis Episcopi ANT. MANDICH ad Museum misit.

34) *Alia* cubans, vestita est oblonga toga, nuda ostendit brachia, caput corona, ex floribus texta, redimitum est, dextra manu florum manipulum propinat, sinistram adponit vasi, ex quo varii generis fructus protuberant.

Monumentum operae nitidissimae ex Banatu Temesiensi, agglutinatum recenter cinereo-rubri marmoris tabulae ANT. KISS *de Ittebe* Museo adlegit.

35) *Alia* quinos digitos alta, nitide fabricata, cuius capilli in cinnos formati sunt, corpus nudum fascia praecingitur, a sinistro humero in dextram partem deflua, protruso antrorsum femore, pes sinister inclinatus est, manu dextra flores propinans, sinistram acclinando cornucopiae.

Ex Sirmio obtentam FRAN. VÖRÖS *de Farád* Museo resignauit. Florae effigies diuersas videndas offert SCHATZ *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. XXXIII. Pingitur habitu amabilis cuiusdam matronae; floribus elegantissimis redimita, iisdemque sparsis per vestem ornata, at toto corpore nuda, solumque fascia praecincta. Poetae Praesidem fecere omnibus iis, quae flores germinant, vti in agris, hortis, et vinetis natura producit. Ea de caussa OVIDIVS *Fastor.* Lib. V. 180. *matrem florum* hanc Deam adpellat, inquiens: *Mater, ades, florum, ludis celebranda iocosis.*

36) *Bellona*, in altitudine vnius pedis galeata, vultu graui, sparsaque coma, scilicet: vt C. SILIVS ITALICVS *Punicor.* Lib. V. v. 220. habet:

Ipsa facem quatiens, ac flauam sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

Digitized by Google

thorace ad vmbilicum, togaque vltra genua vestita, iniecto sinistro humero pallio, et protenso brachio clypeum tenens, e dextra, in altum leuata, manu probabilius scipio excidit, quem apud SCHATZ *Antiq. Gr. et Rom.* Tab. XVI. fig. 13. ostendit.

Statuam hanc, olim in *Szöny* effossam, ex aere corinthiaco, bene adhuc conseruatam Museo FRAN. VÖRÖS *de Farád* impertitus est. Bellonam Martis sororem fingunt Poetae, bellisque intentam, teste OVIDIO *Metamorph.* Lib. V. v. 155. Virginem:

– – – – – multo Bellona Penates
Sanguine perfundit, renouataque proelia miscet.

Habitu, et cataphractura induitur eadem, qua Pallas, siue Minerua.

37) *Minerua*, quae OVIDIO *Fastor.* Lib. V. *ensibus exertis bellica laeta dea est*, ad quinos digitos alta, impolite formata, lorica induta, protuberantibus mammis, tergum oblongo pallio habens opertum, pedemque dextrum tantisper inclinatum, ac manum demissam, in qua clypeum (*aegidem* vocant) aerugine consumtum tenebat, sinistra ad caput vsque protensa, hastam requirit, galea quoque vitiata est.

Eius typus extat in SCHATZII *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. XVI. fig. 8. Ipsa Statua inuenta est an. 1778 in *Sövényháza*, quum ibidem dominale cellarium foderetur, duabus orgiis infra terram. Dominus Terrestris ALEXAND. NEVHOLDT *de Sövényháza* nuper Museo nationali destinauit. Ex attributis Mineruae in hac statua (vti fere in plerisque) desideratur ad pedes gallus gallinaceus. Nam Sacrificia huic Deae oblata, erant noctuae, dracones, et galli gallinacei, quibus indicatur, diuinam sapientiam nunquam veterno aliquo, aut sopore occupari.

38) *Palladis* caput galeatum, pectoretenus perita manu politissime effictum, in lorica caput Medusae gerens.

Statua haec ex aeno Traiani nobili aerugine superinducta est, inuentaque in horto Posónii ponc Danubium an. 1811. trinos digitos alta. LVD. BENICZKY *de Eadem, et Mitsinye*, complur. Comit. Tab. iud. Assessor, et I. Comit. Zoliensis iur. ord. Notarius pro Museo comparauit. Affinem ei typum exhibet SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. XVII. fig. 4. Id notandum, sub nominibus *Bellonae*, *Mineruae*, *et Palladis* semper vnam, eandemque personam intelligi, eo tamen cum discrimine, quod *Mineruae* appellatio tum adhibeatur, quum de scientiis sermo est, et tamquam earumdem Praeses consideratur. Inde prouerbium enatum est: aliquid *inuita Minerua* facere. *Pallas* dici solet, ac quidem *sagata*, cum Belli Dea fingitur, quamquam etiam quandoque *togatam* nominare moris est, si de liberalibus artibus sermo se offerat. Quum autem cruenta bella narrantur, semper *Bellonae* adpellatione vti consuetum est.

39) *Sacrificulus* quinos digitos altus, insistens vasi, cuspidato pileo, togaque longa amictus, pendentibus de collo corollis, et per pectus fasciis praecinctus, manu dextra rutrum, sinistra pateram tenens.

Figura haec, minus obuia, bacchantem Sacrificulum repraesentat, qui vt OVID. *Metamorph.* Lib. III. v. 691. ait: *accensis aris Baccheia sacra* curabat. Percepta est ex *Daruvár* per Gab. JANKOVICH C. E. Bos. seu Diakovárien. Canonicum.

40) *Alius* (fortassis etruscus) in altitudine quatuor digitorum, nudato capite, veste tallari amictus, sed manibus truncatis.

Digitized by Google

Inuentus est an. 1778. in *Sövényháza* Comitat. Iaurinen. possessione, et ab Alexand. Nevholdt *de Sövényháza* Museo datus.

41) *Alius* quatuor digitos altus, vestitus toga, vsque genua prominente, in dorso pallium portans, manu dextra pro sacrificiis thus ostendens, sinistra pectori admota.

Possidet Museum ex dono Comit. Leopold. Andrássy *de Csik Sz. Király, et Krasznahorka.*

42) *Alius* graecanicus, quinos digitos in altitudine metiens, nitidissime fabricatus, et in nulla sui parte vitiatus, toga longa, quae terram attingit, vestitus, caputio fere tali, quale monachis esse solet, contectus, manu dextra patinam sacrificalem tenet, sinistra sub pallio occultatur, cui alatum Gorgonis caput incisum est.

Videnda haec figura est apud Schatz *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. IV. Monstrum, quod in pallio gerit, est *Gorgon,* Virgilio *Aeneid.* Lib. II. v. 615. canente: — — *Pallas insedit, nimbo effulgens, et Gorgone saeua.* A terribili aspectu oculorum ταρὰ τὸ γοργὸν τῶν ὀφθαλμῶν nomen adepta, non vna tantum ab antiquis memoratur, sed tres *Medusa, Stheno,* et *Euryale,* quibus quartam aliqui *Scyllam* addunt, a qua prouerbium natum est: *incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.* HollE *Mytholog.* Par. III. Cap. III. §. II. – Statuam hanc in Ducatu Herczogouina S. Sabae effossam, Episcopus Avg. Millettich, de Museo Hungarico optime meritus, ex *Fojnicza* misit. Accedit ad figuram in Begler. *Thes. Brandenb.* T. III. p. 556. propositam.

43) *Alius* aegyptiacus, toga terram verrente indutus, mitra in acumen assurgente tectus, palliolo humerali praecinctus, pendente post dorsum stolla ex mitra vsque terram signis hieroglyphicis notata, altitudine quinos digitos concinne superans, optime conseruatus.

Figuram hanc exhibere Sacerdotem Deae *Isidis* dubium non est. Huius cultum ex Aegypto etiam in Europam translatum fuisse, confirmant plures talismodi sacrificulorum, et ipsius Idoli in Sclauonia, ac Bosnia repertae Statuae. Vestis *linigera* determinat praecipuum Sacrificulorum, et ipsius Deae attributum. Ideo Ovidivs *de Ponto* Lib. I. Eleg. 1. v. 51. cecinit:

Vidi ego linigerae numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Statua inuenta est in Sirmio ad *Illokinum*, et denato Praesuli Ant. Mandich oblata, a quo per Cameram Reg. Hung. Aul. ad Museum manavit.

44) *Alius* in altitudine trium digitorum, longa toga vestitus, nudato capite, et compositis ad precandum manibus, formam monachi christiani refert. Licet rudis sit fabricae, orandi tamen affectum perquam idonee exprimit.

Istius iconem refert Cantelivs *de republ. Rom.* Part. II. pag. 45. Inuentam hanc parui moduli figuram in *Tétény* infra Budam, Museum vno biflorenario redemit.

45) *Alius* romanus in altitudine quinque digitorum polite effiguratus, nudo capite, et nudis brachiis, tunica genutenus vestitus, manu dextra pateram, sinistra frondem humero impositam tenet.

Digitized by Google

Statuam hanc e Transsiluania *Szamos-Ujvárino* adduxit Lad. Gorové Comit. plur. Tab. Iud. Assessor, eius autem simulacrum aeri incisum extat in Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. XLIII. fig. 9. Cuius tamen Sacerdos fuerit, ignotum. Omnibus enim Diis facta sunt Sacrificia, suosque habebant Sacerdotes. Ex fronde nonnulli autumant indicari sacrificulum Florae, Pomonae, vel Victoriae. Sed enim ex typis Processionum, dum ad immolandas hostias itum fuit, Aruspices, hoc habitu indutos, hostias comitatos esse, obseruatum est.

46) *Mercurius* senos altus digitos, rudi manu effictus, corpore nudus, alata galea munitus, dextra manu furum Deus ostentans sacculum, aptum videlicet, *quidquid placuit*, inquit Horativs *Carmin.* Lib. I. Od. X. v. 9. *iocoso condere furto*, sinistram habet vacuam.

Erutus in *Dévény*, ad Museum deuenit ex legato Ios. Kis, aeri incisus a Schatzio *Antiquit. Graec. et Rom. Tab. XV. fig.* 2.

47) *Alius* ex eadem, vt luculenter adparet, fabrica, priori simillimus.

Inuentum ad *Velencze* Museo intulit Fran. Vörös *de Faráid.* Veteres eum pronunciarunt furum Deum. Nam singulari eminebat furandi dexteritate, quum natali suo die Admeti boues clam abstulit, emissa propterea per Apollinem sagitta in Mercurium, finxit se praedam reddere velle, quam tamen iterum surripuit. Vulcano fabrilia instrumenta, Ioui sceptrum, Neptuno tridentem, Veneri cingulum, clanculum eripuit. Haec ex Lvciano congessit Holle *mythолog.* Part. II. Cap. II. §. IV.

48) *Alius*, vno fere pede maior, qui se, et vetustate, et elegantia mire commendat, pede sinistro insistit basi, qui dum e terra eiiceretur, vitiatus est, dextro autem *alato* (ait Ovid. *Fastor.* Libro V. v. 88. *pede carpit iter*) quasi volaturus esset. Effiguratus est iuuenili facie, hilariore, corpore toto nudus, galerum quoque alatum ferens, manu dextra, (prouti effigies Mercurii apud Pomey in *Panth. myth.* pag. 41. ostendit) sursum erecta, vultuque versus astra conuerso, sinistra autem, quae fracta est, procul dubio caduceum gestabat.

Elegans istud in Banatu Temesiensi repertum monumentum periti prodit artificis manum, quo Ant. Kiss *de Ittebe* antiquitates Musei locupletauit. In hac Statua Mercurius non furum Deum repraesentat, sed Nuncium, et interpretem Deorum. Ea enim de caussa capite, pedibusque alatus pingitur. Officium eius Ovid. *Metamorph.* Lib. II. v. 743. indicauit praecipuum his verbis:

— — — — Ego sum, qui iussa per auras
Verba patris porto. Pater est mihi Iupiter ipse.

49) *Alius* admodum rarus, affabre formatus, nobili aerugine obductus, in rupi nudus sedet, manu, velut defatigatus petrae inclinata: tectus praeterea galero alato, vultu iuuenili, pede dextro inflexo, ac aeque alato, caduceum in dextro humero cumbentem manu sustinet.

Monumenti huius figura in *Thesauro Brandenburg.* Tom. III. pag 236. tum ob raritatem, tum ob elegantiam extollitur. Quum enim Poetae finxerint Herculem, et Mercurium constanter occupationibus distentos fuisse, valde rarae sunt statuae, quibus iidem sedentes exprimuntur. Quare Mercurius sedens, opinione Mythographorum, fingitur redux a compositis inter Deos per suam, qua eminebat, facundiam dissidiis, in itinere fatigatus paulisper quieuisse, idipsum hac Statua promente, quae in Confinii Brodensis pago militari *Ottok* effossa, ac per C. E. Diakovárien. Canonic. Ioan. Matizovich Museo donata est.

Digitized by Google

Caduceus, seu baculus, cui duo serpentes, se mutuo impetentes, circumuoluti sunt, eius praecipuum erat attributum. Hunc enim, ab Apolline datum Mercurio, fabulantur veteres tantae fuisse virtutis, vt illo quasuis discordias actutum tolleret. Prolixius de Mercurii officiis in mercimonio, literis, et artibus disserit FVLGENTII *Mythologicon.* Cap. 18. — 24.

50) *Alius* minoris formae, lassitudine confectus, corpore nudus, alato pileo, incuruato pede, positaque dextra manu super genu, altera extensa, qua fortassis caduceum, vel sacculum olim tenebat. Verosimile est, eum aliquando ligneae basi, quae sub terra consumta est, insedisse.

Statua haec bene adhuc conseruata, affabre fabricata, haud supra quinos digitos alta, inuenta est in aliqua fossa ad possessionem Comitat. Albensis *Baracska* dictam, et a Nobile FRAN. ROBOZ Museo oblata. Ipsa Statua accurate, vti Mercurius pingi solet, repraesentat luuenem vultu, et aspectu sereno, subdolis oculis, casside, calceisque alatis, duntaxat caduceus, et sacculus desideratur.

51) *Hermæ Mercurii*, pileo alato tecti, in dorso dente instructi, quo fortasse muro infigebatur.

Missa est haec antiquitas e Transsiluania. BEGER *Thesaur. Brandenb. Tom. III. pag.*238. huic similem typum producit in Clypeo. Fuerit indubie in domo mercatoris inter Lares habitus.

52) *Mars* in altitudine vnius, et dimidii pedis, galeatus, loricatus, sinistra manu clypeum extollens, ex dextra deperdita est hasta, dum e terra erueretur.

Hac forma extat gemmae incisus in *Thesauro Brandenburg.* Tom. I. pag. 48. Repertus est *Budae* ad viam regiam in fundamentis Xenodochii FF. Misericordiae, et a STEPH. MARCZIBÁNYI *de Puchó* receptus, cuius successores concinne effictum, Museo importandum rati sunt. Mars persaepe etiam Mauors, Quirinus, et Gradiuus appellatur. Tertius hebdomadae dies ei sacer erat, et Romulus tertium anni mensem eius honori dedicauit, retento hodie adhuc nomine, et loco. Caetera, quae Poetae fingunt, aut symbola sunt, aut verborum phalerae. Quidquid de Marte dici potest, HOLLE *Mytholog.* Lib. II. cap. II. §. III. breuiter exhausit.

53) *Alius*, inquiente OVID. *Fastor.* Lib. II. *bellicus a telo venit in astra Deus*, trinos altus digitos, lorica, et galea armatus; caetera attributa in vtraque manu desiderat.

Apud Liptouienses effossum Museo tradidit PETR. SZENTIVÁNYI *de Eadem.*

54) *Alius* in eadem fabrica procusus, praecedenti prorsus affinis.

Possidet Museum ex Comitis LEOP. ANDRÁSSY *de Csik Sz. Király, et Krasznahorka* dono. Fortasse de Marte notari meretur, quod isthoc primum apud Romanos idolum tanto fuerit in pretio, vt non modo dies, sed etiam mensis, et stellae ei dicarentur, ac variae loquendi formulae in lingua latina adoptarentur, e. g. proprio marte aliquid facere, vel experiri, etc. Adhiberi pro *bello* nemo non nouit, sic: Mars ciuilis, ferus, ferox, finitimus, dubius, cominus, validus, inopinus, parentalis, secundus, forensis, etc. adeo familiaria sunt epitheta, vt memoria amplius nec inter christianos populos intercidere possit.

55) *Pomona*, nouem digitos alta, haud contemnendae formae, quae capillis in cirros dispositis, inflexo paululum pede sinistro, corpus nudum fascia ex laeuo humero pendens tegit, manus sinistra ad femur demissa est, dextra corbem fructibus plenum tenet, et *matura*, inquit CALPVRNIVS Eclog. II. v. 33. *mihi Pomona sub arbore ludit.*

Digitized by Google

Haec tum vetustate, tum nitore eminens statua, in Sclauonia reperta, ab Ant. Vörös *de Farád* muneri data est.

56) *Alia* elegantis formae, quinque digitos alta, in reliquo priori similis.

Inuentam ad *Káránsebes* Ant. Kiss *de Ittebe* Museo procurauit.

57) *Alia* perinde concinne fabricata, in altitudine quatuor digitorum, ad formam praecedentium.

Obtenta est a C. Leop. Andrássi *de Csik Sz. Király, et Krasznahorka.*

58) *Alia* eiusdem magnitudinis opere anaglypho affabre confecta.

Ex reliquiis Episcopi Ant. Mandich per Cam. Reg. Hung. Aul. ad Museum translata. Pomonae, Hortorum Deae, statuae in Hungaria et Sclauonia iam plures repertae sunt. Poetae de ea haud aliud singulare fabulantur, nisi, quod maritum nacta sit Vertumnum, seu Protheum, qui mille formas induere nouit, volentes scilicet innuere, quod illi, qui ex hortis fructus capere desiderat, multiplici conatu opus sit.

59) *Genius* alatus, nudus, octo digitos in altitudine numerans, musculis aptissime expressis, capite in dextram partem inclinato, et pede dextro e terra eleuato, vtraque manu solatii affectum commonstrat.

Ex aere corinthiaco inuentum inter rudera in Comit. Tolnensi ad *Bátaszék* Ioan. Latinovics *de Borsód, et Kattymár* Ord. S. Steph. paru. Cruc. Eques, ad Excel. Consil. Reg. Locumten. Hung. Consiliar. et Cancellar. Director Museo procurauit. Figura huius Statuae videri potest in Begeri *Thesaur. Brandenburg.* Tom. III. pag. 273. Genios Hetrusci, Aegyptii, Graeci, et Romani cuique homini proprios fuisse existimarunt, quasi Angelos Custodes. Ideo Tibvllvs Lib. IV. eleg. V. in haec verba precatus est:

Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape dona libens, votisque faueto.

Isti habiti sunt pro Diis domesticis, seu Laribus ea cum opinione, quod infanti, vtprimum in vitales auras editur, duo assignentur Genii, vnus bonus, alter malus, quorum fortior altero in actionibus humanis dominabatur. Hinc diuersae Geniorum figurae progenitae ab artificibus fuere. Vide Holle *Mythol.* L. II. C. IV. § III.

60) *Alius* parui moduli, nudus, sine alis, sed dependente ex humero fascia decoratus, affectus manibus, pedibusque cum solatio exprimit.

Vetero Budae an. 1812. in platea pone templum H. C. inuentum, ab Hebraeo Museum vno biflorenario redemit.

61) *Alius* trium digitorum altitudinem aequat, sed informiter elaboratus est, fracto praeterea dextro brachio, distortis pedibus, manibusque, gestu soluto, hilaris exultat.

Ex *Dévény* a Ios. Kis.

Digitized by Google

62) *Alius* exiguae formae, corpore nudus, sine alis, manibus vero, et pedibus festiuus.

In Comitatu Baranyiensi effossum Christ. Bermans, Scriba Directionis montanisticae in Vasas Museo intulit.

63) *Alius* informi capite praeditus, tres in altitudine digitos superat, manibus, pedibusque ad hilaritatem dispositis.

Effictus est ad formam picturae, quae in *Herculano* Tom. II. pag. 367. prostat. Etiam est ex Statuis in *Dévény* ad Posonium inuentis, et per Ios. Kis Museo cessis.

64-66) *Alii* tres, nudi, quatuor digitos alti, admodum rudi opera formati, qui, traiecto pede dextro trans sinistrum consistunt, et informe caput habentes, vtraque manu corbem, floribus plenum conprimunt.

Flores ad Geniorum, quos bonos dixere, attributa pertinuisse, confirmat Horativs Lib. II. Epist. I. *Floribus, et Vino Genium memorem*, quibus suos placandos existimabant Genios. Tres istas figuras pro Museo, in Sarcophagis infantum repertas, collegit Pavl Bittroff mercator *Sissekini.*

67) *Alius*, in altitudine quatuor digitorum, sedens, non inconcinne figuratus, ac bene conseruatus, alisque instructus, traiecto pede sinistro ad dextrum, manu sinistra cornu copiae sustinet.

Inuentum *Vetero Budae* an. 1813. Museo largitus est Alexand. Németh *de Nyék* S. C. et R. A. M. Gubernialis Consiliar. complur. Comitat. T. I. Assess. et Regio-Coronal. Dominior. Vetero Buden. et Vissegrad. Cameralis Praefectus.

68) *Alius*, in altitudine quatuor digitorum, informiter effictus, corpore nudus, pede dextro introrsum posito, paululumque inclinato, ala, manuque sinistra fracta.

Effossus in *Sövényháza*, ab Alexan d. Nevholdt *de Sövényháza* Museo oblatus.

69) *Alius* trium digitorum aeque nudus, incuruato dextro pede, sinistra manu tenens aliquid, quod distincte crudus labor effingere ignorauit.

Inuentum in *Szöny* Ios. Bély ad Museum misit.

70) *Alius*, quatuor digitos altus, capite cincinnato, fractis pedibus, brachiis quoque et alis.

Hanc Statuam ex sua collectione pro Museo delegit C. Leop. Andrássy *de Csik Sz. Király, et Krasznahorka.*

71 — 72) *Alii* duo in altitudine sex digitorum, sibi similes, eleganter formati, nudi, alis prouisi, et capillitio, quali hodie caluities capitis tegitur, ad humeros vsque defluente, operti.

Istae duae Statuae, aerugine, vt aiunt, nobili obductae, suo non carent pretio. Sunt enim huius generis figurae rarissimae. Vtraque optime conseruata est. Anno 1816. in Comitatus Albensis possessione

Digitized by Google

Pázmánd, quin vitiarentur, effossae, et a nobili familia KEMPELEN *de Pázmánd* Museo dicatae fuerunt. Earum typus in *Herculan.* Tom. II. pag. 183. inspici potest. Sunt vero testimonio, capillitia non esse nouum inuentum. Id sub medium saeculi XVII. ostendente IAC. REVIO in *Libertate christiana circa vsum capillitii defensa.* 12. *Lug. Bat.* 1647.

73 — 76) *Theutones*, in quatuor exemplaribus, eiusdem formae, et magnitudinis, ex vna, eademque rudi fabrica. Sunt toruo vultu efficti, mystacati, tegumento capitis cuspidato operti, tunica, vt Germanis esse solet, ad genu vsque protensa, braccis quoque, et ocreis formae theutonicae induti, dextro pede flectunt, et sinistrum antrorsum positum inclinant, ac super genu decollatum caput manu seruant, brachio dextro ad vibrandum disposito.

Omnes quatuor inuentas in possessione *Dévény* Ios. KIS Museo legauit. Etsi ad tempora Romanorum referendas concedamus, non tamen Romanae sunt, sed mea opinione ex fabrica aliqua germanica prodiuerunt. Si ex situ regionis, quam Marcomanni (*Markmänner*) ferocissimi Germanicae originis populi, inter Posonium, Viennam, et Morauiam, perhibente HENR. GLAREANO in. not. ad EVTROPII *Breuiar. Hist. Rom.* Lib. VIII. cap. XII. inhabitarunt, argumentari fas est, probabilius istos sub ANTONINO PIO Legio christianorum, quam Romani postea fulminatricem dixere, larga potius pluuia, et fulminibus de coelo cadentibus, quam armis non procul Posonio ad internecionem profligauit. Statuas proinde illinc inuentas, non Romanos, sed Marcomannos, Danubii accolas, repraesentare, mihi imaginor.

77) *Isis*, Dea aegyptiaca, non prorsus inepte ex argento efficta. Haec mammata est, manibus per pectus transuerse positis, caput capillitio velatum habet, occultatisque, et fascia, mumiarum more, inuolutis pedibus, insistit basi, quacum in altitudinem quinque digitorum assurgit.

Figuram hanc, in Hungaria minus obuiam, AVGVSTIN. MILLETICH in Bosnia repertam, ex *Fojnicza* misit. Correspondet typo Deae, apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. I. fig. 9. expressae. Huic Aegyptiorum Deae, etiam a Romanis adoptatae, diuersas indere figuras veteribus visum est. Vestis linea ad praecipua eius attributa pertinet. Fingitur enim lini vsum prima docuisse. Ea de caussa eius Sacerdotes lineo habitu amicti fuere, et ipsa Dea nominabatur *linigera* apud OVIDIVM Epistol. ex Pont. Lib. I. Epist. I. v. 51.

Vidi ego linigerae numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.

In vrbe, quam *Memphim* dixerunt (hodie *Sakara*) sacratas habebat aedes, vbi primum enata est consuetudo ad formam Isidis lino inuoluere mumias.

78) *Diana* in proceritate vnius pedis, capillis in ordinem colligatis, cuius *paruo signantur* iuxta CLAVDIANVM Lib. II. tempora *cornu*, vultu virgineo eminens, corpore nuda, ceruinae pellis loco, suspensa ab humeris fascia, pectus munitum habet, inflexo pede sinistro, cui arcum applicat, manus dextra probabilius sagittam desiderat, ad pedem dextrum vertagus sedet.

Deae huius, venationi praefectae, icones facile dignoscuntur e characteribus, quales sunt in fronte Iunae cornu, pharetra, vertagus, aut duo cerui. HYGINVS eam Fab. CLXXXI. inter *Auctor. Mythogr.* pag. 299. adumbrat eamdem prolixius, prae caeteris vero POMEY in *Panth. Mythol.* pag. 169., addito etiam typo figurae, omnia Poetarum commenta enarrat. Museum Statuam hanc percepit ab ANT. KISS *de Ittebe.*

Digitized by Google

79) *Alia* parua suis cum attributis, eiusdem pene formae, attamen sine cane, vel ceruo.

Inuentam ad canalem Bachiensem, Museo legatam esse voluit Ios. Kis.

80) *Alia* iuuenili facie, capillisque in cincinnos compositis, ad altitudinem sex digitorum efficta, partem nudi corporis fascia, ex humero pendente, cingit, dextro pede paululum inclinato, manu dextra sinistrum vber tangit, sub sinistro humero probabilius arcum tenet, qui propter rudem fabricam discerni nequit.

Missa est ad Museum a Sereniss. Archiduce Iosepho regni Palatino. Vti haec a prioribus differt, ita etiam plures aliae existunt figurae huius Deae, quae sibi similes non sunt. Horativs enim *Carmin.* Lib. III. Oda XXII. *Diuam triformem* vocat, et Albricvs in *Mythologico* pag. 909. eam pingit coma dissoluta, quae arcum tenebat, et sagittam, qua Ceruos in syluis, et montibus insequitur.

81) *Cunia*, quatuor digitos alta, infantem sinu fouet.

Huius generis Figurae admodum raro reperiuntur, quas tamen olim frequentes fuisse ex D. Avgvstin. *de Ciuit. Dei.* Lib. IV. cap. 11. comprehendi potest, qui omnes, quas superstitio finxit, Deos, Deasque nascentibus Praesides enarrat suis cum functionibus. *Cuniae* nomen tulit, quod Lactantio *de falsa religion.* Lib. I. cap. 20. edition. Hackianae pag. 110. docente, cunis praesset, infantes in his iacentes tueretur, et dormientibus aduigilaret. Museum hanc raritatem *Sisseko* accepit a quaestore Pavlo Bittroff.

82 — 86) *Lictorum* quinque paradigmata, ex vna, eademque fabrica, quarum vna alteri ad amussim similis est. In Hungaria iam complures repertae fuerunt huius generis Statuae. Referunt virum toga vestitum, in magnitudine sex digitorum, imberbem, nudato capite, demissa ad femur dextra, sinistra manu caput humanum sustinentes. Sub hac figura aliqui latere putant Melpomenen, quum in *Musei Clementini* Tom. II. affinis producatur statua; alii sub eadem figura iconem ignoti Poetae se detexisse existimant, quam Bellorivs *Imaginibus veter. illustr. Poetar.* Par. II. sine nomine incidi curauit. Attamen probabilior stat sententia, effigies esse Lictorum, quos, nudato capite, toga vestitos, non modo securim fascibus illigatam, Consulibus in Senatum euntibus praeferre, sed etiam ab iis dictata supplicia exequi oportuit, cuius officii symbolum caput ceruicibus abscissum esse censetur.

Quinas has Statuas Heimburgo Austriae, vbi olim Carnuntum Pannoniae, superstitibus Castri etiamnum in monte ruderibus, situm fuisse exploratum est, Ioan. Stermenszky L. Reg. Ciuit. Budens. Senator accepit, et iisdem Museum locupletauit. Statuas has ab Hebraeis mendose confictas, et nequaquam genuinas esse creditum fuit: nihilominus obseruatum est, eas duntaxat per aliquem imperitum repurgatas fuisse. Sunt enim detecta vestigia aeruginis, quae antiquitatem confirmat.

87) *Ceres*, ad altitudinem vnius pedis perquam eleganter formata, sinistro pede insistens globo, qui (notante Schatzio *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. IX. fig. 8.) coelestem repraesentat, dextro autem post tergum proiecto, nitida corporis specie, vultuque amoeno praedita, nudatis brachiis, habitu talari vsque genua protenso induta, capillis in cinnos flexis, erecto capite, atque brachio dextro, manipulum papaueris porrigit, sinistra manu cornucopiae tenet.

Digitized by Google

Monumentum operis graecanici, ex eadem fabrica, ex qua Mercurius *num.* 49. superius indicatus prodiit, simul cum illo pone Temesiam in eodem loco effossum.

88) *Alia* cubans super variegata cinerei, et rubri coloris tabula marmorea, tallari veste amicta, expanso brachio dextro, et nudata parte corporis, prominente vbere, capite spicea corona redimito, adpodiato cubito sinistro ad vas, ex quo semina frugum effluunt, manuque dextra manipulum papaueris seruans, *frugum* (vt Ovid. *Metamorph. Lib. VI.* ait) *mitissima mater* abundantiam indicat.

Affabre figuratam, cum praecedenti Cereris Statua, Museo intulit Ant. Kiss *de Ittebe.*

89) *Alia* septem digitos in altitudine metiens, concinne efficta, defluentibus ad humeros capillis, mammata est, capite spiceam coronam gerit; nam Horativs in *Carm. Saecul.* v. 29. ait:

Fertilis frugum, pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona.

corpus autem nudum fascia praecingitur, inflexo pede dextro, sinistra manu manipulum papauerum, ac dextra autumni monstrat munera, indicans videlicet, quae Orphevs in *Hymnis* de illa cecinit: *Γῆ μητερ παντων Δημητερ πολυθρεπτειρα.*

In hac statua animaduerterunt artifices, musculos valde bene expressos esse. Inuentam in Sirmio Fran. Vörös *de Farád* Museo sacrauit. Cereris fabula duntaxat allegoria est, qua veteres abundantiam frugum indicatam esse voluerunt. Hinc Cereris figuram non vno modo pictam constat ex Albrico *Author. Mythologic.* pag. 937. ex Statuis, et Numis huic Deae dicatis, quae se distinquit per habitum modestae matronae, per spiceam Coronam, per mergitem, vel facem in dextra, et per papaueris fasciculum in sinistra manu. Haec autem attributa explanantur apud Pomeivm *Panth. mythol.* Par. II. pag. 147.

90-94) *Fundibalistae*, quos Virgilivs *Georg. Lib. I.* hoc versiculo ferire videtur: *Stupea torquentur Balearis verbera fundae*, quinos digitos alti, non satis polite efficti, in Hungaria minus rari, dextram manum, lapide armatam, sursum attollunt, sinistram demittunt, in qua perinde lapidem seruant, inflexo modice pede dextro, tunica vsque genua induti, galeaque potius plana, quam reduncа, caput munitum habent.

Horum diuersa schemata Ivst. Lipsivs *Oper. Tom. II. Policretic. Lib. IV. Dialog. III.* aeri incisa vulgauit. At quanti fuerint vsus in Romano exercitu fundae ex Vegetio *de re militari* Lib. I. Cap. „XVI. discendum est: „Fundarum (inquit) vsum primi Balearium insularum habitatores et inuenisse, et ita „ perite exercuisse dicuntur, vt matres paruos filios nullum cibum contingere sinerent, nisi quem ex fun„ da destinato lapide percussissent. Saepe enim aduersum bellatores, cassidibus, cataphractis, loricisque „ munitos, teretes lapides de funda, vel fustibalo destinati, sagittis sunt omnibus grauiores; cum mem„ bris integris, lethale tamen vulnus, importent; et sine inuidia sanguinis, hostis lapidis ictu intereat. In „ omnibus autem veterum praeliis funditores militasse nullus ignorat. Quae res ideo ab vniuersis tironi„ bus frequenti exercitio discenda est, quia fundam portare nullus est labor. Et interdum euenit, vt in „ lapidosis locis conflictus habeatur, vt aut mons sit aliquis defendendus, aut collis; aut ab oppugnatione „ castellorum, siue ciuitatum lapidibus barbari, fundisque pellendi sunt.“ Quinque istae figurae diuersis locis repertae sunt: vna in *Bátaszék* obtenta est a Ioan. Latinovich *de Borsód, et Kattymár*, altera in *Mitrovicz* ab Ant. Mandich, tertia in agris *Vetero Budae* ab Ant. Pintér, quarta in vineis *Sz. Endreensibus* a Casp. Pajor *de Tóth Liptse*, quinta in *Petrovcze* a Petro Szalay ad Exc. Consil. Reg. Locumten. Hung. Secretario.

Digitized by Google

95) *Fortuna* togata in altitudine quinque pollicum, dextra cornucopiae, sinistra gubernaculum tenens, capitis ornatus turrim repraesentat, in dorso ala dextra desideratur.

Hac plane forma aeri incisa est Dea apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Rom.* explicataque Lib. II. Cap. IV. pag. 72. *Strigonii* in arce an. 1820. repertam MICH. ZÁVODY Incl. Tab. Reg. Iud. Iur. Notarius Museo intulit.

96) *Alia*, sex digitos alta, neutiquam informiter fabricata, sed per vetustatem nimiopere corrupta, truncato scilicet capite, secus autem longam togam gerens, demissaque dextra sine pala, humero sinistro cornucopiae iniectum tenens.

Aeri incisa est apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. XXXIII. fig. 6. *Sabariae* inuentam Museo cessit MICH. TIBOLTH Director Iurium, et Bonorum Familiae Széchényianae.

97) *Alia*, sat concinne fabricata, ad quatuor in altitudine digitos promota, palliata, et vsque terram togata, capillitio in coronam verso, sinistra manu cornucopiae gestans, dextra incumbens palae, siue, vt aiunt, gubernaculo.

Prostat aeri incisa in POMEY *Panth. mytholog.* in Append. pag. 279. Effossam in Comitatu Albensi familia KENPELEN *de Pázmánd* Museo largita est. Etsi figura huius Deae, modo bonae, modo malae, breuis, paruae, secundae, aduersae, obsequentis, inconstantis, masculae, muliebris, priuatae, coecae, aliisque appellationibus, non abs re insignitae, pro circumstantiarum ratione variare videatur, attamen ex certis, qui eidem semper insunt, characteribus dignosci potest, scilicet ex pala, cornucopiae, et capitis ornatu. Solet quandoque etiam nuda pingi, insistens globo terraqueo, et velum supra caput protendens. Fortassis nulla Dearum tamdiu memoriam sui inter gentes conseruauit, quam Fortuna. Vnde non immerito HORATIVS Sermon. Lib. II. Eclog. VIII. v. 61. exclamauit:

——— Heu Fortuna, quis est crudelior in nos
Te Deus? vt semper gaudes illudere rebus
Humanis!

Effigiem Fortunae etiam BEGERVS in *Thes. Brand.* Tom. III. pag. 295. dedit.

98) *Iuno* regina, septem digitos in altitudine metiens, toga induta est ad genua vsque protensa, quam supra vmbilicum taenia corpori adstringit, promissis ad humeros capillis, diademati, quod capite gestat, iris sociata est, dextra manu ad femur demissa, sinistra pectori adposita, pede sinistro inclinato. Consistit in eiusdem aeris basi, sed sceptro caret.

Statua haec haud est inelegans, quam Custos rei numar. et antiquar. ANT. HALICZKY quatuor plagulis adumbrauit in *Rövid Értekezés Salonai Iuno Isten – Aszszonynak kisded Réz Képéről.* 8. *Budán* 1817. Aduecta est an. 1816. ex Dalmatia, postquam *Salonae* diu delituit, per AND. PFISTERER S. C. R. A. M. ad Excel. Consil. R. L. Hung. Consiliar. Ord. Leopoldini Equitem, Regni Hung. Protomedic. et in R. Vniuers. Hung. Facult. Medic. Praesidem, et Director. – ALBRICVS inter *Auct. Mythograph.* pag. 918. ad singularia eius attributa *iridem* refert, *Reginam* se ipsa praedicat apud VIRGILIVM *Aeneid.* Lib. I. v. 46.

— Ego, quae Diuum incedo Regina, Iouisque
Et Soror, et Coniux.

Aliter eam plasmatores, aliter pictores sistunt. Isti enim illam pingunt aureo currui insidentem, quem duo pauones trahunt, a tergo ipsam comitatur Iris arcu versicolore insignis, coronata praeterea liliis, et rosis, dextera sceptrum Iouis instar gerit.

Digitized by Google

99) *Alia*, quae duntaxat Iunonis protome est, capillis circa frontem in coronam textis, amoena facie praedita, in capite ansam gerit.

Figura haec admodum eleganter formata est, et manum peritam sapit. Spectata eius grauitate, et ansa supra caput, diuinare pronum est, eam deseruiuisse ponderi, ex statera pendenti. Nec fortassis incommode. Nam Iunonem ab Ioue catenis aureis vinctam, incudibusque ferreis, ad pedes appensis, in aere suspensam fuisse, fabulati sunt Poetae. Cur non ergo staterae? Sitne autem protome Iunonis aegeriae, pronubae, februae, nuptialis, etc. quae nomina a functionibus, perhibente Pomeio *Panth. myth.* Par. I. pag. 72. per fabulatores accepit, aliis examinandum relinquimus. Ad Museum ex Bosnia pertigit per Avgvstin. Milletich, eidemque affinis effigies prostat inter *Vetera Monumenta Matthaeiorum* Vol. II. Tab. I. fig. 1.

100-101) *Noxii*, in duobus eiusdem formae exemplaribus, altitudinem cum aerea, cui insistunt, basi octo digitorum attingentes, prorsus rudi manu adornati. Caput capillo in orbem disperso horrescit, vultus iuuenilis animi moerorem insinuat, corpus integre nudum circa vmbilicum cinctorio obtegitur, manus dextra pectori admota tristitiae affectus est, vti sinistra, tintinabulum sustinens, noxietatis indicium.

Vnum huius generis schema ad *Eszekinum*, olim Romanorum Murciam, effossum, ab episcopo Ant. Mandich, alterum a Leopol. Stvr acceptum est. Ad vsum tintinabuli (de quo Hieron. Magivs eruditissime disseruit in *Libro posthumo de Tintinabulis.* 12. *Amstelod.* 1664.) apud Romanos omnino pertinebat, vt illud malefactoribus, morte plectendis, quum ad locum supplicii ducebantur, collo adpenderetur, contra vero corporali poena plectendis ad manum daretur pulsandum. Vide Fvnckii *neues Real-Schul Lexicon.* V. Th. pag. 744.

102) *Apollo*, alias etiam *Phoebus* a φῶς *lux*, et βίος *vita* nominatus, antrorsum nudus, post tergum pallio tectus, pede sinistro curue in globum, qui orbem denotat, infixo, manu sinistra deciduam de corpore togam tenens, dextera autem pectori admota, capite autem radiis illustrato, vegetae aetatis forma, ab artifice ad vnius pedis proceritatem effictus est.

Insistit quadriformi cinerei coloris basi marmoreae, quam fieri curauit, ac Museo intulit Ant. Kiss *de Ittebe.* Figuram Phoebi dedit Hyginvs in suo *Astronomico* pag. 561. *Auctorum Mythograph.* Apollinem Deum Musarum, Scientiarum, et Artium, ac proinde etiam lucis, et vitae, me tacente, quisque assequitur. Vnde Deo Musarum competit Lyra, et laurea corona, vt autem Deo Lucis, Radius. Apollo innumeris decoratur nominibus, praecipua tamen sunt: Delius, Delphinius, Delphicus, Didymaeus, Nomius, Pythius, Paean, quae in Pomeii *Pant. myth.* Part. I. pag. 28. explicantur.

103) *Helios*, seu *Solis* protome, referens caput cincinnatum, faciemque maturam radiis incinctam.

Procurauit Museo Ant. Haliczky. Imago huius figurae extat in Passerii *Thesauro Gemmarum.* Tom. I. Tab. XXXI. Solem Persae *Mythram*, (de quo mihi, si vitam adhuc anno producere licuerit, alibi sermo futurus est) vocant, eique nihil affinitatis cum Apolline tribuunt, tametsi plerisque Scriptoribus mythographicis, et Poetis Apollo, Phoebus, Sol, synonima sint. Pomey in *Panth. myth.* Part. I. pag. 34. secernit, et cum eodem nuper Cl. Stanislaides in *Encycloped. philolog. Graec. et Rom.* Par. III. cap. II. §. II. pag. 234. Solem a Phoebo, siue Apolline, aptissime distinxit, quod is ipsum Solis corpus, eiusque cursum, ortum, et occasum denotaret.

Digitized by Google

104) *Bacchinus*, siue figura bacchans in altitudine trium digitorum, repraesentans virum mystacatum, Baccho dulcia falerni litaturum. Eius caput tegitur pileo, ad formam cappae phrygiae, corpore nudus, sinistro flectit pede, dextrum quoqe inclinatum tenet, curuato brachio sinistro, manum lateri imponit, dextroque plene in altum extenso, manu scyphum propinat.

Figuram hanc, non prorsus contemnendam, *Vetero Budae* inuentam, Museum ab Hebraeo vno biflorenario redemit.

105) *Alius*, in altitudine trium digitorum repraesentat monstrosae faciei figuram barbatam, corpore nudam, sinistro pede super globo flectentem, dextro inclinato, manibus ad genua adpodiatis, tegumento capitis munitam, quod vices pilei subit, in dorso quadriformem tabulam portat.

Inuentam hanc in *Sövényháza* ALEXAND. NEVHOLDT *de Sövényháza* Museo transcripsit. Monumenta tum aerea, tum testacea et lapidea bacchantium figurarum ex antiquitate adhuc hodie in tanta copia supersunt, absurdissimarum, vt quae ex MONTFAVCONIO aeri incidi curauit SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. XXVI — XXX. nequaquam numerum impleant. Sacra enim, quae Baccho facta sunt, adeo scandalosa fuere, vt POMEIVS *Panth. myth.* Part. I. pag. 55. auctoritate veterum Scriptorum fretus, asseuerare non dubitauerit, a festis Bacchanalium nullam impietatis, turpitudinis, sceleris, furorisque notam abfuisse. Inde nunc Laruae, et Mascherae, quae nostra aetate Bacchiferiarum tempore in choreis vsurpantur.

106-107) *Mancipia Dacica*, scilicet vir, atque foemina, eo plane habitu, et forma effigiati, prouti apud TOPPELTINVM in *Origin. et occas. Transsiluanor.* 8. *Vien.* 1762. veteres Daci pinguntur. In altitudine vnum pedem constituunt. — Vir promissa barba, atque capillo, adperto capite, indutus breui, et vltra coxam haud protenso indusio, atque longis caligis, aut verius perisomatibus strictioribus, in reliquo nudipes, manu dextra pectori admota, sinistra protensa, misericordiam prouocare connititur. — *Mulier*, capillis magis in ordinem dispositis, pari habitu vestita est, nudipes quoque, sinistra manu ad pectus posita, dextraque paululum extensa, eosdem affectus in vultu ostendit.

Vtramque Statuam vltra *Orsovam* an. 1789. bene conseruatam, profunde e terra per Valachum erutam, mox manibus Canon. Csanádiens. et Abbatis *And. Radványi* consignatam, cum huius obitu ANT. KISS *de Ittebe* pro Museo redemit. Si ex nitore earundem coniectandum est, labor probabilius aetatem Traiani Imp. attigit, a quo Dacos, teste HORATIO *Carmin.* Lib. I. Od. XXXV. *asperos*, in ea regione debellatos, nemo verius, et lectu iucundius enarrat, quam DIO CASSIVS *Hist. Rom.* Lib. LXVIII. edit. Reimar. fol. Hamburg. 1752. Tom. II. pag. 1128. Ex Dacorum reliquiis, et Romanorum Coloniis, a Traiano eorsum deductis, hodiernos Valachos postea enatos fuisse, fortasse non plane temnenda opinio est. Vestitus istorum multum affinitatis habet cum praememoratis Statuis, quae iconibus apud TOPPELTINVM, atque SCHATZIVM Tab. LXXXIX. fig. 27. 28. item Tab. CX. fig. 9 et 10. exprimuntur. Mitto pertinacem in superstitionibus constantiam, aliasque improbas consuetudines, hodiedum superstites.

108) *Pauentia*, Dea est, quam teste D. AVGVSTINO *de Ciuit. Dei* Lib. IV. cap. 11. antiqui constituerunt, vt auerteret ab infantibus pauorem. Statua septem digitos alta, admodum negligenter efformata est, cuius pars anterior nuda, posterior pallio obtegitur, pede sinistro paululum incuruato, dextro insistit animali, quod discerni propter rudem laborem nequit, infantem manu dextra sursum leuat.

Digitized by Google

Etsi figura haec minus polite efficta sit, ob raritatem tamen in pretio est, missaque ex Bosnia ab Avgvst. Milletich. Testante Livio *Histor. Rom.* Lib. I. iam Tullius Hostilius *Pauori* Romae templum condi, et singularem cultum exhiberi iussit. Inde *Pauentia* nascentibus Praeses data est, ne Pauor infantibus nocere possit. Animal, quod pede premit, putatur esse Cerberus.

109) *Rumina*, siue *Rumilia*, item *Rumia* Dea, perinde rarioribus adnumeratur Statuis, rumam scilicet, quae antiquitus mammam significabat, perhibente D. Avgvstino *de Ciuit. Dei* Lib. IV. Cap. 8. infantibus immulgere obstricta fuit, et rudi opere ad altitudinem septem digitorum fabricata, nudo corpore, curuatoque pede sinistro consistit, sinu infantem lactatura comprimit, atque vultu in prolem defixo, amoris affectum innuit.

Effigies illius habetur in Schatzii *Antiq. Graec. et Rom.* Tab. XXXVIII. fig. 8. Museo obtigit ex dono C. Leop. Andrássy *de Csik Szent-Király, et Krasznahorka.*

110) *Alia*, priori adaequate similis magnitudine, forma, atque fabrica.

Haec a Sereniss. Archid. Iosepho, Hung. Palatino ad Museum locata fuit,

111) *Alia*, sex duntaxat digitorum, nitidiore manu praeparata, attamen eadem cum praecedentibus forma.

Ex reliquiis Ant. Mandich per Camer. Reg. Hung. Aul. Museo concessa. Diis tutelaribus, quos Romani Genios, Lares, ac Penates nominauere, ac quidem praesidio nascentibus, prouti Pomey *Panth. Myth.* Part. V. pag. 227. docet, accensebatur, Fanis, ac Sacris non destituebatur, cumque illi sacrificatum fuerat, victimae lacte adspergebantur.

112-113) *Milites* Romani, in duobus schematibus, vnius, eiusdemque formae, quatuor digitis haud altiores, bene efficti, habitu militari, scilicet thorace armati, galea operti, perisomate praecincti, et peronibus induti, qui pedestri militiae proprii erant, vna manu pendente, altera protensa, sed sine armis. Probabilius hasta cum clypeo deest.

Quemadmodum autem milites Romanos in Velites, Hastatos, Principes, Triarios, etc. diuisos ex Vegetio, Lipsio, Montfavconio, Schatzio, aliisque Scriptoribus abunde cognitum est, ita apud eosdem militum seu peditum, seu equitum icones quaerendas esse, non est, quod moneamus. Istis duo haec paradigmata plene conformia sunt. Vnum eorum acceptum est ex *Alibunár* a Ios. Schiessl, alterum *Sisseko* a Pavl. Bittroff.

114) *Rudiarius*, galea, loricaque indutus, armorum loco, rudem vtraque manu capit, et, vt Ovid. *Amor.* Lib. II. eleg. 9. ait:

Fessus in acceptos miles deducitur agros,
Tutaque deposito poscitur ense rudis.

Haec Statua non obuio labore procusa est, et basi quadrangulari, ex marmore nigro recenter effictae, insistit. Ad Museum ab Ant. Kiss *de Ittebe* translocata est. Refert militem, qui diuturna belligeratione defatigatus est. Namque Romani, qui in militia triginta annos exegerunt, Veterani vocabantur, et cum ab armis, passim (vt citatus Nasonis versiculus innuit) agris donati, ad quietem recesserunt, *Rudiarii* nominabantur. Baculo enim, vel virga, qua donabantur, ab vlteriore munere vacationem, seu manumissionem indicatam esse, ex Nizolii *Thesaur. Ciceronian.* pag. 1233. intelligi potest. Inde enim rudem accipere, rudem mereri, rude donari, in prouerbium abiit.

Digitized by Google

115) *Matrona* romana, quae capillis ordinate conuolutis, laciniisque tecta, dextra tallarem habitum attollens, sinistra manu tedam ardentem extinctura, terram versus flectit.

Prodiit ex eadem fabrica isthaec elegans Statua, in qua miles rudiarius formatus fuit, perinde vnius pedis alta est, stat quoque super simili basi, estque etiam Ant. Kiss *de Ittebe* donum. Sed altioris indaginis est, quae Dea sub hac figura lateat? Ex nota characteristica, scilicet ardente face, alius Proserpinam, Dianam, vel Vestam, alius Lunam, vel mensem Decembrem exprimi arbitratur. Ego vero Noctem in ea me inuenisse puto. Nam apud Passerivm *Thesaur. Gemmar.* Tom. I. Tab. LX. Nox cum velo nigro, veste tallari, et inuersa face ardente pingitur. Si proinde lacinias pro velo interpretari lubet, isthaec figura Noctem indicat, fortassis Rudiario maxime accommodam. Quid enim rude donato reliquum esse potest, quam nox perpetua? Recte Horativs *Carmin.* Lib. I. Od. XXVIII. v. 15. ait:

– – – – – – – omnes vna manet nox,
Et calcanda semel via leti.

Hac sane de causa Veteres *Nocti*, scilicet inexorabili nullis precibus Deae, templa publica non posuerunt. *Proh!* inquit Holle Mytholog. Part. IV. cap. III. §. I. *quam multi exegere noctem in molli strato, qui excusso somno, se apud inferos euigilasse deprehenderunt.* Inde est, quod Mythographi Noctem ad Deos inferorum retulerint.

116) *Ephydrias*, ad altitudinem septem digitorum informiter fabricata, nympham fontanam repraesentat, vultu iuuenili, capillisque cincinnatis praeditam, quae vtraque manu vas antrorsum tenet, ex eo aquam effusura, corpore ceterum nuda.

117) *Alia* eiusdem formae, duntaxat paululum minor.

Vtraque in Comitatu Albensi ad lacum *Velenczensem* reperta est, quarum unam Steph. Horváth, alteram Ant. Haliczky Museo procurarunt. Nympharum in Mythologia tanta est multitudo, vt vniuersum pene orbem impleuisse videantur. Pomeivs *Panth myth.* alias coelestes, alias terrestres, alias aquaticas *Part.* II. *pag.* 179. longa serie recitat, nec pauciores ex Ovidii operibus excerpsit Petr. Millervs in *Chrestomath. Ouidian.* ad vocem *Nymphae.* Ephydriades Poetae tres finxerunt, quarum manus, vel vase, vel concha maiore onerarunt, vti effigies lapidis in Hortis Matthaeianis commonstrat, quam Gronovivs in sua editione Lugduno-Batauensi Pompon. Melae *de situ Orbis.* 8. pag. 358. aeri incidi curauit.

118) *Venus*, toto corpore nuda, in altitudine nouem digitorum, capillis ante, et post in nodos contortis, dextra manu extensa, sinistra pomum tenet. Labor glaber nullos musculos ostendit, et ad tempora, quibus artes minus florebant, referendus est. Insistit rotundae basi aereae.

Winkelmanno quidem, peritissimo condam Antiquario, si viueret, vix probaretur, attamen inventa an. 1820. in Banatu, et per Ioan. Tessényi Lib. Reg. Ciuitatis Temesiensis Consulem, ac Senatorem Museo cessa, a *pomo*, quod manu gerit, notabilis est. Hoc enim, prouti Holle *Mytholog.* Par. III. Cap. II.§. III.breuiter texuit, in conuiuio Dearum pulcherrimae iudicio Paridis, non sine inuidia, Veneri concessum fuisse, fabulantur Poetae. Ex quo dono fata Paridis enata esse, innuit Virgilivs *Aeneidos* Lib. I. v. 26. — — — — *manet alta mente repostum Iudicium Paridis, spretaeque iniuria formae.*

119) *Alia*, octo digitos alta, nudo corpore, capillis in nodum colligatis, manu dextra concham informem monstrat, sinistra pudenda tegit.

Digitized by Google

Haec an. 1820. reperta est a Demetrio Dvmtschia, Ciue, ac Quaestore Pestiensi in Promontorio *Wissegrádiensi*, similis ei figura typo proponitur in *Musei Capitolini* Tomo IV. Nomine gaudet *marinae*, quod ex spuma maris edita, in *concha* vnionis instar velut in cunis iacuerit, a zephyro deuecta sit in Cyprum insulam, illinc extracta ex aquis, educata, comta, et ornata, ac iam adulta in Coelos deluta, quod Avsonivs *Epigram.* XXXIII. paucis ita expressit: *Orta salo, suscepta solo, patre edita Coelo.* Haec Veneris generatio, pictoribus, et sculptoribus occasio fuit varias effingendi icones, concha vero semper manente, praecipuo Deae attributo. Haec etiam *Cnidia* dicitur, et pudentior, quum pudenda tegat

120) *Alia*, sex digitos alta, non plane negligenter elaborata, capillis in coronam, et circa collum taenia colligatis, amoenae faciei, nudo corpore, vt *nuda, quibus placeat; nudos dimittat, oportet.* Virgil. *Aeneid.* Lib. I.

Si figura haec in pedibus, manibusque non esset vitiata, prorsus affinis haberi posset illi, quam Ant. Franc. Gorivs *Antiquit. Etrusc.* Tab. VI. fig. 15. protulit. Hac forma ab Atheniensibus culta fuit, compellataque nomine *victricis*, aut *amicae*, quod amicos, et amicas in bonam, malamque partem iungeret. Nam obseruante Pomeio *Panth. myth.* Par. I. 88. Graeci πόλυς nomine tam amicas, quam scorta Veneris compellarunt. Statuam hanc in Vineis *Szent-Endreensibus* inuentam, Casp. Pajor *de Tóth-Liptse* Museo offerendam ratus est.

121) *Alia* informis, quinos alta digitos, ligatis capillis, toga ad vmbilicum vsque tecta, pedibus nudis, quae manu sinistra mammam tegit, et dextra concham marinam tenet.

Concham esse Veneris symbolum iam Albricvs Philosophvs apud Staveren *Auctor. mythograph.* Latin. pag. 903. insinuauit, rem vberius interpretante Fvlgentio *Mythолog.* Lib. II. pag. 669. Hanc figuram Veteres *Venerem Paphiam* dixere, quod hac forma in vrbe Paphos coleretur. Accepta est e Bosnia ab Avgvst. Milletich.

122) *Alia*, quatuor digitos alta, capite cincinnato, corpore nudo, manu dextra demissa, sinistra fortassis concham monstrat, vel pomum.

Accedit ad similitudinem figurae, quae apud Schatzivm *Antiq. Gr. et Rom.* Tab. XXII. fig. 8. habetur: effossa est in *Csór*, Comitat. Albensis possessione, et a Loci Parocho Ant. Vailand Museo missa.

123) *Alia* in altitudine quinque digitorum, nuda, capillis ex vtraque parte ad mammas pendentibus, supra frontem taenia constrictis, dextro insistit pedi, sinistro infra femur fracto, manu dextra nihil tenet, quid incurua sinistra ferat, discerni amplius nequit.

Statua haec non est informiter facta, et prorsus non abludit a schemate, quod nuper Caiet. Cattaneo in *Osservazioni sopra un frammento antico repraesentante Venere.* 4. *a Milano* 1819. descripsit. Dea haec, omnis lasciuiae mater, vti diuersis nominibus praedita, ita etiam variis figuris picta fuit, inter quas Cnidia apud Lvcianvm prae caeteris eminuit. Appellatione formosae a Poetis decoratam, testis est Ovidivs *Fastor.* Lib. IV. v. 129. *Et formosa Venus formoso tempore digna est.* Museo ista obtigit ex dono Comitis Ioan. Eszterházy *de Galántha.*

124) *Noctulius* admodum raro inuenitur, et fortassis ad Lares referendus, quod somno procurando aptissimus censeretur Deus. Ipsa figura endimionem repraesentat, in altitudine quinque digitorum formata, tecto capite, caligis indutus, reliquo corpore nu-

Digitized by Google

dus est, dextro pede breuiore, sinistro curue insistens, femur protrudit, manibus, brachiisque perinde inflexe ad dormiendum cum languore dispositis.

Eadem effigies extat in Begeri *Thesaur. Brandenburg.* Tom. III. pag. 292. Ista inuenta est in *Szöny*, et a Ios. Bély Museo tradita. Solet huic alias ad pedes noctua locari. Schatzivs *Antiquit. Graec. et Rom.* Lib. IV. Cap. I. §. 5. obseruat, apud Scriptores nusquam illius fieri mentionem, attamen inter bacchantes Nyctileum nominari.

125) *Ancharia*, Dea Etruscorum, informiter facta, digitos quatuor alta, tegumento capitis gaudet infra mentum ligato, corpore nuda, manu in dextro latere pendula, sinistra ad coxam inclinata, pedibus iunctis, ne gradiri possit, qui tamen, forte, quum effoderetur, decussi sunt.

Ista in Hungaria inuenta non est, sed ex Italia attulit Comes Ios. Andrássy *de Csik Sz. Királyet Krasznahorka.* Haec rarissime in collectionibus Statuarum comparet. Eius enim cultum haud diu perseuerasse docet Rosinvs *Romanar. antiquit.* Lib. IV. Cap. XI. pag. 290. A plerisque Antiquariis propter silentium Poetarum, Ancharia habita est pro Venere etrusca. Sed, quod nullis gaudeat notis, quibus Venus pingitur, nec etiam gesticulationibus ei propriis, mutata est opinio.

126) *Cabirus* veterum Etruscorum Deus, quatuor digitos altus, contectus pileolo, corpore nudus, manibus vtrinque pendulis.

Haec illius forma in *Herculano* Tom. II. pag. 89. inter Statuas exhibetur. Nomen habet a Cabiris Diis, quorum Cicero *de natur. Deor.* Lib. III. tres fuisse asseuerat, in Circo tres eis aras a Romanis positas, confirmat Tertvllianvs *de Spectaculis* cap. VIII. Apud Thessalonicenses etiam Cabiros singulari cultu exceptos esse, refert Lactantivs *de falsa religione.* Haec ipsa, quam memoramus, statua ibidem inuenta, ad Comit. Leop. Andrássy peruenit, et ab eodem Museo cessa est.

127) *Figura* ignota, quinque digitos alta, olim auro, prouti vestigia monstrant, illinita. Caput corona incinctum habet, nudum corpus ab vmbilico ad genua tegitur, pedes nudi coniuncti sunt, manus dextra pendet, sinistrum brachium desiderat.

Effossa est in Comitatus Simeghiensis possessione *Zamárdy*, et ab Adalb. Brestyenszky Ord. S. Bened. AA. LL. et Phil. D. in R. Acad. Iaurinensi Math. pur. et adplic. P. P. O. an. 1821. Museo oblata. Quis Deus, Imperator, vel Rex, si Coronam spectes, sub hac figura lateat? equidem me adhuc ignorare, confiteor.

128) *Sphinx* monstrum mythologicum in altitudine quinque digitorum, non minus Aegyptiis, Turcis, ac Graecis, quam etiam Romanis familiare. Caput horridum a cercopitheco mutuauit, pectus humanum est, pedes cum vngula leonini sunt.

Isthoc monumentum, *Sisciae* in Croatia an. 1810. effossum, Io. Nep. Lábos Museo procurauit. Icones inter se discrepare, ex diuersitate formarum in Schatzii *Antiquit. Gr. et Rom.* Tab. X. fig. 6. 7. etc. colligi potest. Figurarum varietatem, et ipsam fabulam, de qua iam Palaephatvs *de Incredibilib.* edition. Fischerian. pag. 46. disseruit, interpretatus est Fvncke in *neu real Schul-Lexic.* Tom. I. pag. 756. Sphingis enim aenigma: quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, vesperi tripes esset? Oedipus soluit, hominem esse, qui in infantia manibus, pedibusque serpit, aetate procedente pedum adminiculo incedit, in senectute etiam scipione indiget.

129) *Apis* Aegyptiorum Deus, bos erat, qui in parua forma non inconcinne effictus, et bene conseruatus est.

Digitized by Google

Etsi vestigia aeruginis antiquitatem commonstrarent, non tamen hanc raritatem in Pannonia Romanos publico cultu excepisse, crediderim; sed solummodo taurum hunc esse symbolum victimarum. Inuentum 27. Septemb. an. 1800. in pago *Ienô* prope Budam a Colono agrum subarante ANT. KLEFFER Ord. S. Bened. ad Scotos Viennae professus, et Abbat. S. Steph. de Telky Bonorum Administrator Museo intulit. Aegyptii bouem, sua lingua *Apim* dixere, et pro Deo venerati sunt. PLINIVS *Histor. natural.* Lib. VIII. Cap. XLVI. eorum nugas fuse enarrat, quas in huius cultu adhibuerunt. Inter caetera mersum, euoluto certo, ac definito annorum spatio, bouem nigrum, candida in dextro latere macula notatum, fonte Sacerdotum, derasis capitibus, tamdiu lugebant, donec alium, priori substituendum, inuenirent. FVNCKE in *real Schul Lexic.* Tom. I. pag. 245. Apim interpretatur pro agriculturae symbolo.

130) *Ceruulus*, duos duntaxat digitos altus, aerugine quidem nimiopere iam exesus, attamen protensis ad fugiendum pedibus effictus, confirmat VIRGILII versiculum: *viuacesque magis ceruos decet esse pauentes.*

PAVL. BITTROFF hunc reperit *Sisciae* in Sarcophago infantis cum pluribus aliis animalibus aereis. Affinis ei typus extat in *Herculan.* Tom. IV. pag. 95. Si D. AVGVSTINVM audias, in nonnullis Ciuitatibus ethnici etiam Ceruis prima Ianuarii insulsa fecerunt Sacra.

131) *Equellus* non informis, exiguae molis, sed vetustate fere iam consumtus.

Perinde a mentionato PAVL. BITTROFF in eodem sarcophago (quorum quadraginta septem in sua vinea *Sisciae* effodit) repertus est. Correspondet figurae, quae in OROSII *Histor.* Lib. VI. cap. 7. edition. Hauercampian. pag. 386. et seqq. numis exhibetur. Equis quoque suus erat tum apud Graecos, tum apud Romanos honor, quod probant gemmae, numi, et cumprimis monumenta, quae equis, in circo decurrentibus, posita fuerunt apud SCHATZIVM *Antiq. Gr. et Rom.* Tab. CI. fig. 6.

132) *Canis graii* caput, exigui quidem moduli, sed polite fabricatum.

Canem inter Coeli sydera a veteribus relatum esse, ex HYGINI *Astron. Poetic.* Lib. III. Cap. XXXIV. et seqq. edition. Stauerenianae pag. 536. constat, eaque de caussa in summa veneratione fuisse PALAEPHATVS *de Incredibilib.* edit. Fischerian. pag. 161. perhibet. Inuentum apud Liptouienses an. 1812. EMER. PONGRÁCZ *de Sz. Miklós, et Óvár*, S. C. et R. A. M. a Consiliis Museo illocandum misit.

133) *Anser* aereus paruae formae, expansis alis, sine vlla elegantia effictus.

Inuentum *Carlovicii* in Sclauonia ANT. HALICZKY pro Museo accepit. A tempore, quo per anseres hostis tam prospere proditus est, vt OVIDIO *Metamorph.* Lib. II. v. 538. canente:

– seruaturis vigili Capitolia voce
Cederet anseribus – – – – –

apud Romanos summo in pretio habiti sunt anseres, quos in turribus nutriendos praecipit VEGETIVS *de re militar.* Lib. IV. cap. 26. *Nam clangore* (inquit COLVMELLA *de Re rustica* Lib. VIII. Cap. XIII.) *prodit insidiantem, sicut etiam memoria tradidit in obsidione Capitolii, cum aduentu Gallorum vociferatus est, canibus silentibus.* Pag. 689.

134) *Leo* iubatus, protensis pedibus, pacifice cubans, forma prorsus concinna, in altitudine quatuor digitorum effictus, in parte posteriore cauus.

Prorsus huic similem refert gemma, cuius typum BEGERVS in *Thesaur. Brandenburg.* Tom. III. pag. 373. vulgauit. Inuentus in regione ad *Essekum*, Episcopo Diakovariensi, ANT. MANDICH traditus est, post cuius obitum ab Excel. Camera Reg. Hung. Aul. Museo transcriptus fuit. In Aegypto Leoni

Digitized by Google

condam sacri exhibebantur honores, et FVNCKIVS in *neu. real Schul Lexic.* Tom. III. pag. 101. docet, Fortitudini sub specie Leonis fana publica veteres posuisse. Teste enim HORAPOLLINE *Hieroglyph.* Lib. I. cap. 21. Leo nunquam non symbolum Fortitudinis bellicae habitum est, eaque de caussa in antiquis numis, et monumentis frequenter comparet. Hoc quoque schema haud aliud, quam ornamentum alicuius monumenti fuisse suspicor.

135) *Tigris* cubans, et praedam exspectans, ex periti artificis fabrica prodiit, cuius nitori vetustas parum nocuit.

Nisi fide digne constaret, isthoc paradigma *Sabariae* an. 1819. effossum, et a IAC. SCHELLE Sabarien. Postae Magistro missum esse, addubitarem illud Antiquitatibus romanis adnumerare, quum Tigrides duntaxat Indi, ex nimio metu ferocitatis, coluisse perhibeantur.

§. II.

Statuae, et Protoma, ex lapide, testa, osse.

1) *Iupiter*, effictus in statua ex alabastro ad magnitudinem vnius, et dimidii pedis, vultu senili, nudato capite, barbatus, toga ex humero sinistro defluente per totum corpus, duntaxat in parte dextra pectus, atque brachium, cuius cubitus desideratur, adpertum est. Manu sinistra hastam sustinet, sedente ad pedes aquila, dextra fulmen seruat, eamque basi, aut potius arae, sacrificio accommodae, adponit.

Etsi haec Statua temporis longinquitate vitiata sit, nihilominus periti latomi manus vndique elucet. Attributis, quae Ioui conceduntur, omnibus gaudet, fulmine, hasta, aquila, et barba. Pallium ei perenne non est. Pingi etiam toto corpore nudum, ex statua S. Endrensi, superius *Sect. IV.* §. *I. num.* 19. descripta, notum est. Haec seminudum, et palliatum exhibet, in forma fere figurae apud VETISCVM in *Olymp, oder Mythologie Tab. I.* Infinita nomina, quibus condecorabatur, POMEY *Panth. mythic.* Part. I. pag. 16-21. recitat. Isthoc marmor refert effigiem *Iouis Conseruatoris.* Haec quippe forma in plurimis numis comparet, cum epigraphi: *Conseruatori*, quam Imp. Diocletianus inscripsit. Dubitari nequit, hoc monumentum in aliquo delubro super ara locatum olim fuisse. Inuentum enim est apud Transsiluanos in valle *Hátszeg*, vbi etiamnum fanum Ioui sacrum, a BAR. HOHENHAVSEN *Alterthümer Daciens* pag. 31. depictum, existit, quod ipse quoque vidi. In hoc nunc Valachi G. R. N. V. cultum Diuinum peragunt. Inde AND. FODOR *de Lugos* Med. Doctor, I. Comitat. Dobokensis Physicus, et Tab. Iud. Assessor illud accepit, et Museo nuncupauit. Fabulam Iouis, prae caeteris perspicue interpretatus est ROSINVS *Antiquit. Roman.* Lib. II. cap. V. pag. 105.-113.

2) *Isis*, Dea aegyptiaca ex granite sculpta. Monumentum hoc valde antiquum est, pondere sexaginta libras, altitudine vnum pedem aequat. Figura illius repraesentat caput foemineum velatum, quod, occultatis ceteris membris corporis, e basi quadrangulari protruditur, cui manus sine brachiis incumbunt. Tam antica, quam postica pars basis, notis hyeroglyphicis, vetustate multum iam exesis, referta est, quae interpretem postulant.

Digitized by Google

Monumentum hoc aestimatissimum directe ex Aegypto cum Napoleone, inde reduce, Parisios adpulit. Anno 1806. fratres Ios. es Leop. e Comitibus Andrássy *de Csik Szent-Kirdly, et Kraszнahorka*, S. C. et R. A. M. Camerarii, illinc commorantes, illud multo aere redemerunt, et in Patriam redituri, illico Museo sacrarunt. Quae de Iside Poetae fabulati sunt, *Sect. IV. §. I. num.* 76. paucis retulimus. Plura narrantur in Horapollinis *Hieroglyph.* Lib. I. Cap. 3. item apud Aelianvm *de Natura Animal.* Lib. X. Cap. 22. 23. 27. 31. et. 45. e quibus recentiores Mythographi sua excerpserunt. Similitudinem huius Statuae videre est in Begeri *Thes. Brand.* T. III. p. 309.

3) *Caput* virile barbatum ex granite affabre sculptum.

Quum denatus episcopus Vaciensis Lad. Kamánházy Marmora Musei, Sarcophago L. Cassii Pudentis (cuius epigraphe in *Act. Mus. Nat. Hung. Tom. I. pag.* 234. editum est) augeret, ab eodem hoc ignoti Romani caput missum est.

4) *Aliud* etiam ex granite, capillitio, mystace, et barba praeditum, quinquaginta libras ponderans, non inconcinne formatum, si nasum modice laesum excipias, bene conseruatum.

Inuentum est cum capite muliebri (quod in Kiliti apud Capituli Weszprimiensis Prouisorem asseruatur) in fundamento dirutae arcis, quam ad Romanos pertinuisse, copiosi numi Romani, ibidem eruti, confirmant, pone *Ságvár* in Comitatu Simeghiensi non procul a Balatone. Museo illud defunctus Consiliarius Caes. Reg. Eques Aurat. et Suprem. Iazygum, et Cumanor. Palatinalis Capitaneus Ios. Stöszel *de Rapin* procurauit.

5) *Aliud* iuuenile Romanum ex alabastro polite effictum.

Perceptum est ex ignoto loco ab Archiduce Iosepho, Regni Palatino, an. 1819.

6) *Aliud* etiam iuuenile, cincinnatum, naso tantisper vitiato, ex petra diligenter efformatum.

Effossum in *Pentele*, Comitatus Albensis praedio, ad Museum nationale relegauit Fran. Vörös *de Farád.*

7) *Aliud* ex marmore carraro pectoretenus nitide figuratum, vultu iuuenili, decoro capillitio, et fascia, quae infra collum confibulata est, eminens.

Hoc in Sclauonia erutum, an. 1817. inde secum tulit Ant. Haliczky

8) *Busterichus*, fragmentum duntaxat est, quod Itali *torso* dicunt, ex candido marmore, repraesentans virum, in proceritate vnius pedis nudum, in dorso pallio tectum, quod collo alligatum antrorsum constringitur, situ corporis proportionati, musculisque naturam egregie imitantibus, eminet, manibusque prorsus caret, pedes autem truncati sunt.

Inter ruinas *Szönyienses* pone ripam Danubii an. 1812. reperto Ios. Bély Museum locupletauit. Figurae, quam Schmid in *Recueil d' Antiquités trouvées a Avanches a Culm, et en d' autres lieux de la Suisse* Tab. XIII. pag. 48. aeri incidi curauit, adeo conformis est, vt eandem fortassis esse existimandum sit. Mihi, diu haesitanti, quis sub hoc fragmento intelligi possit, inopine succurrit celeberrimus condam Patriae Antiquarius, nuper defunctus, Abbas et Canonicus Magno-Varadinensis, Steph.

Digitized by Google

Schönvisner, a quo edoctus sum, hoc fragmentum habendum esse pro Bustericho, Germanorum Deo, cuius simulacrum aereum saeculo XVI. in Heluetia repertum est. Eius typum Henr. Christ. Henninivs suis Obseruationibus ad Tollii *Itinerar. Epistolas* pag. 54. adiecit.

9) *Protome* duos fere pedes altum, totidemque latum, referens illustrem virum togatum, ex rubra argilla pectoretenus efformatum, cuius occiput breuis coma tegit, facies imberbis, non tamen iuuenilem vultum indicat.

Effossum est *Homonnae*, et an. 1813. a Comitissa Petro Szápáriana, nata Csáky, Museo donatum. Opinio fuit, esse iconem Ciceronis, quam ex monumentis horti Matthaeiani Petr. Bellorivs ad *Vet. Ill. Philosoph. Poetar. Rhet. et Orator. Imagines* Tab. 77. transumsit. Sed, si quid video, propius accedere videtur ad Viri Consularis effigiem, quae in Begeri *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 337. aeri incisa est.

10) *Mulier* romana ex osse eleganter fabricata, corpore nudo, defluis ad humeros capillis, in sinu iacentem infantem vtraque manu fouens, ac columnae perinde ex eodem osse insistens, quae in annulum desinit, vt manu capi queat.

Memorabilioribus profecto Romanorum reliquiis isthoc monumentum accensendum est. Admodum enim pauca ex ossibus opera nostram attigerunt aetatem. Perrarum hoc antiquitatis paradigma, an. 1771. in confracta aerea Vrna sepulchrali ad ripam Danubii prope Comáromium sub terra repertum est, cum armilla ex vitro nigro, et mediocris moduli numo cupreo Maximiniani Imp. Populari meo doctissimo, Praesidi condam Ord. S. Franc. Seraph. minor. strict. obseruan. Prouinciae a S. Capistrano Ios. Iakossich a Buda, rei antiquariae peritissimo, tanti pretii visum est, vt illud aeri incidi curauerit, typumque in Italiam dimitteret. Me quoque participem fecit, qui ad Bibliothecam Széchényianam eundem reposui, ipsum vero monumentum amico suo Fran. Vörös *de Farád* cessit, a quo ad Museum an. 1813. pertigit. Si coniectare fas est, puto: hacce raritate indicari infelicem partum iuuenis, et formosae mulierculae, quam maritus hoc schemate singulari lugendam sibi proposuit. Ex inscriptionibus lapidum, quae apud Gryterym supersunt, haec coniectura affatim confirmatur.

§. III.

Tabulae votiuae.

1) *Tabula* votiua, formae quadratae, in magnitudine tesselae maiusculae, cuprea. Lamellae huic pelliculatis literis argenteis inscriptum est in vna parte: AVDAX. V. C. PRAEFECTVS. VRBI. FECIT. in altera: SALVO. D. N. IVLIO. NEPOTE. P. P. AVG.

In hac eximiae raritatis tessela abbreuiatae voces per literas V. C. variantes patiuntur significationes, e. g. *Vir Consularis*, vel *Vrbanae Cohortis*, aut *Quintum Consul.* Sub literis vero D. N. indicari *Domino Nostro*, et per P. P. AVG. *Patre Patriae Augusto* ex sensu sponte intelligitur. Inuenta est *Belgradi*: occupata enim Aquatica, inter ruinas domus an. 1789. miles in eam impegit, et Nic. Radványi Comit. Arad, Temes, Krassó, et Torontál. Tab. Iud. Assessori vendidit, qui, erecto Museo nationali, an. 1809. Cimelium Antiquitatum illa ditauit. Ex hac tessela rei antiquariae peritus assequitur, Vota ab Audace Praefecto pro salute Iulii Nepotis, nondum soluta, sed tantum suscepta fuisse. Vota enim

Digitized by Google

enim soluta in marmoribus tum primum per binas literas V. S. id est: *Votum soluit*, insinuabantur, quum iam anni sponsionis euoluti fuerunt. Nam Vota in templis Deorum quadam formula suscipienda erant (qualis apud MACROBIVM *Saturnal.* Lib. III. Cap. 9. est) ab ipsis Imperatoribus, vel a Populo, aut a Magistratibus, siue etiam a Priuatis ad quinquennium, vel decennium pro salute et incolumitate Principum, pro prospero belli exitu, pro felici itinere, nauigatione, partu, ac quocunque demum negotio, positis ad aras susceptorum votorum tabellis. Monumentis cum inscriptione: V. S. *Votum soluit* duntaxat locus fuit, impleto voti termino, aut, cum sponsor voti damnatus est. Inde profluxit phrasis *aliquem voti damnare.* Ex his facile comprehendi potest, cuius generis Audacis Praefecti tabella haberi debeat, susceptorumne, vel solutorum votorum. In BEGERI *Thesauro Brandenburg.* Tom. III. pag. 409. et seqq. plures videri possunt.

2) *Alia* formae quadratae ex granite, vnum pedem alto, cui impolitissime labore anaglyptico insculptum videas informem Larem, seminudum, cuspidato capitis tegumento vestitum.

Deum hunc fuisse domesticum pro phantasia Hospitis Domus effictum, dubitandum non est. — *Vigilant nostra semper in aede Lares*, inquit OVIDIVS *Fastor.* Lib. II. Quaelibet enim domus tali potiebatur, cui vota facta sunt, et litatum erat. Si alter deerat, canis habebatur pro Lare familiari. Nominabantur etiam *Praestites*, quod opem, ac auxilium clientibus suis praestare putarentur. Illis qualibet in aede focus fuerat, et conclaue sacrum, vbi ipsorum Statuae aut ex lapide, aut e cera effictae, vel ex argento, alioque consimili metallo fusae adstabant. Plura de his FVNCKE in *neu real Schul Lexicon* Tom. III. pag. 47. Hancce tabulam, *Vetero Budae* repertam, ALEXAND. NÉMETH *de Nyék* Museo obtulit.

3) *Alia* duos pedes oblonga, et vnum lata, ex marmore carrario formata tabula, Deae *Fortunae* sacra est. Eminens opere anaglyptico; insistit nuda globo, situ corporis et musculis aptissime expressis, dextra fasciam longam, qua praecincta est, supra caput proiicit, sinistra cornucopiae effundit, ad pedes volucris sedet.

Tabula haec an. 1813. *Homonnae* effossa est. Quum enim puteus foderetur, tribus orgiis infra terram murus se explicuit, cui eadem inserta fuit. Fortassis ab hero domus ei hoc monumentum positum. Nulli enim Dearum tanta vota et suscepta, et soluta, atque templa sunt erecta, quam *Fortunae.* Illius symbolum est *Auis.* Si nuda cum velo, insistens globo, pingatur, epitheton *coecae* recipit, quum, asseuerante D. AVGVSTINO *de Ciuit. Dei* Lib. IV. cap. I. adeo expers iudicii et ad bonos, et ad malos veniat, vt IVVENALIS *Satyr.* X. cum ipsa Dea expostulare non dubitauerit:

Nullum Numen abest, si sit Prudentia, sed te
Nos facimus Fortuna Deam, coeloque locamus.

Tabula haec bene conseruata est, perceptaque a IVLIANA Comitissa SZÁPÁRY, nata CSÁKY. Figura plene accedit ad mnemosynon, quod *Sect. II. §. XIII. num.* 56. indicauimus.

4) *Alia* in forma pyramidis, ex tribus aereis tabulis, auro, argentoque olim tinctis, compositae. Ex his duntaxat duae ad Museum peruenerunt, tertia deperdita est, aut adhuc alicubi latet cum basi, cui pyramis haec insistebat, et ad aram occasione Sacrificii locabatur. Opus est anaglypticum, et figurae eleganter expressae sunt. In vna supremum locum occupat protome Iunonis, et Dianae, infra has cum quadam maiestate stat Iupiter barbatus super tauri dorso, sinistro pede antrorsum posito, toruo vultu, indutus thorace, galeaque tectus, sinistra manu minatur fulmine, dextra malleum vibrat, latus eius sinistrum Genius alatus stipat, sinistra laurum tenens, dextra manu Coronam muralem porrecturus. Pone tauri cornua focus sacrificalis ardet. Infra Genium conspicitur protome Herculis cum claua, infra focum, siue aram, Mars galeatus cum hasta. Tau-

Digitized by Google

rus quatuor pedibus calcat quadratulum oblongum, cui includitur epigraphe: IOVI. DVLCHENO. L. AELIVS. LVCILIVS. > COH. I. A. P. F. S. Vltima litera quidem exesa est, sed indubie V. intelligitur. — *In altera*: suprema parmula aquilam expansis alis exhibet: secunda protome Iunonis, ea forma, qua in priori, rursum repetit; Dianae cornutae vero addita est fax: tertia a dextris eandem Iouis figuram, vti in priore tabula habetur, sed in minori forma sistit, a sinistris dorsum sonipedis Vesta, sacrificium factura, premit; inter duo haec simulacra ara flammam spargit: in infima tabulae parte idem Iupiter bis comparet, stans super duobus tauris, corpore quidem conglutinatis, capitibus vero vno dextrorsum, altero sinistrorsum versis, a dextris quidem cum fulmine in sinistra, et cum corona in dextra manu. Ioues bini vtrinque stipant Delubrum, e duabus columnis erectum, sub quo conspicitur vir loricatus, dextram sursum protendens, quasi iusiurandum dicturus, sinistra fulmen ostendens super ardente foco.

Si perrarae huius pyramidis tertia detegeretur tabula, profecto inaestimabile esset romanae antiquitatis schema. *Ioui Dulcheno*, vel *Dolceno* (a Doliche Syriae vrbe) monimenta dicata, iam etiam alias in Hungaria reperta sunt. Vnum a nobis quoque, quo Museum gaudet, *Act. Mus. Nat. Hung.* Tom. I. pag. 224. editum est. Istud, in *Kömlöd*, vbi eruditi *Quadriburgum* Romanorum quaerunt, inter antiquissimi Castri rudera inuentum, Sam. Kóssa - Magyari, Comit. Tolnensis Tab. Iud. Assessor prouinciam conseruandi Musco nationali detulit. Conditor Monumenti se manifestauit epigraphi: *Ioui Dulcheno Lucius Aelius Lucilius Centurio* (sigla enim > Centurionem denotat) *Cohortis Primae Adiutricis Piae Felicis soluit votum.* Si *Coronam muralem* in hac Sacrificii tabula spectes, facile intelligi potest, *Lucilium* hac praemiatum fuisse, quod primus vrbis obsessae muros transcenderit. Aureas enim illis in signum fortitudinis bellicae datas esse Coronas, vberius explanat Paschalivs *de Coronis* 8. *Lug. Bat.* 1671. Ea itaque de caussa taurum Ioui triumphatori immolatum fuisse, illa forma efficto, qua apud Dolichenos in ara steterat, Marti quoque, et Herculi Sacra facta esse, nec Iunone, et Diana praetermissa, figurae memorabilis huius monumenti loquuntur.

5-6) *Alia* in duplici exemplari, ex plumbo quadriformis, ad sex digitos alta, vltra quatuor haud lata, admodum memorabilis est, et fortasse nec peritissimis antiquariis huic affinis visa. Refert enim Delubrum e duabus columnis, in supremitate liliatis, quibus arcus incumbit, cuius orae vtrinque decorantur catena globulorum, intercipiente ordinem viginti tesselarum oualium. Immediate infra arcum conspicitur protome Solis radiati expansis manibus, dextra volam ostendentis, sinistra globum terraqueum propinantis, fasciato ad vmbilicum corpore, taeniis post dorsum instar alarum volantibus, insidentis hemisphaerio, quod vtrinque duobus equis hanc, et in illam partem trahitur; inter capita equorum hic phosphorus, illinc hesperus lucet. Infra hoc hemisphaerium, quod carpenthum Phoebi repraesentat, stat virgo cincinnato capillo, et inauribus ornata, cuius humeros strophium in pectore confibulatum tegit, induta duplici habitu, superiorem vtraque manu prehendens, vsque genua leuat, vtrinque eam stipant Genii alati, porrigentes sibi inuicem manus ex equis, quibus insident. Sonipes a dextris calcat piscem, ille a sinistris serpentem, priori a tergo adstat miles loricatus, clypeo, et inuersa ad terram hasta armatus, posteriorem a dorso comitatur Augur, brachium dextrum, coelum versus extendens. Infra Virginem, supra memoratam, mensae adsident Senex, item Iuuenis cum Puella, fortasse sacrificium facturi, penes hos dextrorsum pendentem ex arbore vulpem Popa excoriat, cuius operam Anubis miratur, sinistrorsum nu-

Digitized by Google

di duo Genii consistunt, quorum anterior senem digito monstrat. Pone fundum Tabulae vas Sacrificii circumdant a dextris tripos, in quo pisces iacent, taciturnitatis, penes hunc Leo cubat, fortitudinis, a sinistris serpens ore hiante se in altum gyrat, prudentiae, hunc sequitur gallus gallinaceus, vigilantiae, quippe symbola. Extus isthoc delubrum tam ab vna, tam ab altera parte circa arcum serpentes conuoluti incingunt.

Tabellam hanc aeri incidi curauit, et periodico operi *Tudománnyos Gyüjtemény* an. 1818. III. Köt. pag. 64 - 65. inseruit Ant. Haliczky Rei num. et antiq. Custos in Museo. Singulare tamen istud antiquitatis mythologicae monumentum supra saeculum tertium non protenditur. Coniicitur id ex figura Anubis. Etsi enim Deum hunc Aegyptiorum Poetis iam ante C. N. cognitum fuisse, constet, ei tamen a Romanis ante saeculum tertium Sacra facta, arasque positas esse, nulla supersunt vestigia. Ad explanandas hieroglyphica huius tabellae Oedipo opus est. Phoebo ex voto pro felici connubio dicatam esse, figuras examinanti probabilem excitare possunt coniecturam. Videntur plura olim extitisse exemplaria. Singulare enim est, quod duae ex eodem metallo non alibi, quam in Sirmio duntaxat sint detectae. Illa, quam Museum ex dono Fran. Kolvnojich Abbat. S. Demetrii de Sirmio, C. E. Bosnen. et Diakovár. Canon. et Archidiac. Cath. AA. LL. et Phil. nec non SS. Theol. D. Comitat. Poseg. Veröcz. et Sirmien. T. I. Assessoris possidet, albi coloris vernice illinita est, altera, quae an. 1809. *Vukovárini* in dominalis syluarum Magistri horto effossa fuit, rutro, dum e terra eiiceretur, vitium accepit. Hunc Ios. Keurer Ciuis, et fabricae coriaceae Proprietarius Museo intulit.

7) *Alia*, quadriformis aenea, imperitissima manu fabricata, et vetustate nimiopere corrupta, probabilius *obruerit saeuis cum tot Deus aequoris vndis* (prouti Ovidivs *ex Ponto* Lib. III. Epist. VI. v. 29. ait) pro felici per mare suscipienda nauigatione Neptuno sacrata, qui senili vultu barbatus iacet cum tridente, vehementer iam attrito, posito super olla cubito, ex quo Oceanus manat.

Rudis haec tabella multum accedit ad marmor, quod in Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXVII fig. 2. aeri incisum est. Neptunum in hoc iconismo praecipua attributa non deficiunt, quibus illum Holle *Mytholog.* Part. III. Cap. I. §. I. a Poetis pingi obseruauit, scilicet capillis fascia adstrictis, caeruleis oculis, nudo corpore, senem barbatum, tenentem manu tridentem, quem Cyclopes cuderunt. Huic, quem inquit saepenumero Ovidivs *Amor.* Lib. II. Eleg. XVI. v. 27. — *ventosa potentia vincit*, non nemo, superata, vel primum suscipienda maritima peregrinatione, istam ex voto suspendit tabellam. Obtigit Museo a Ioan. Boráros.

§. IV.

Typaria, Annuli, et Gemmae caelatae.

1) *Typarium* ex aere in forma quadrati oblongi, cui opere anaglyptico nomen M. PLAVTI. RVFI. incisum est; in dorso, seu parte aduersa manubriolo annulari instructum, vt digitis capi possit.

Eiectum e terra an. 1790. in *Nagy Szöny* obtinuit Fran. Vörös *de Fardd*, qui illud an. 1811 Museo cessit. Hoc profecto tantae raritatis esse censetur vt plurima Musea in Europa typariis graecis, et romanis careant. Forma plerumque quadriformis, oualis, orbicularis, lunaris, vel ocreata illis data fuit. Refe-

Digitized by Google

rebant vel Domini, Patroniue nomen, vti *Marci Plauti Rufi*, vel etiam verba maioribus literis insculpta. Absit tamen, vt ea ad obsignandas epistolas adhibita fuisse, credamus. Deseruiebant enim notandis duntaxat lucernis, vasis fictilibus, et oenophoris, quibus vinum, et alii liquores asseruabantur. Schatzivs in *Antiquit. Graec. et Rom.* nonnullorum exemplarium figuras communicauit *Tab.* LXXXIIII. fig. 8. 9. 10. 11. Correspondent ea nostrae aetatis Stigmatibus, hung. *Billeg.*

2) *Annulus ferreus*, carneolo, aquilàm incisam referente, gemmatus.

Vti ferrum in loco humido facile consumi exploratum est, ita sine difficultate assequi licet, annulos ferreos a temporibus Romanorum superstites esse sane rarissimos. In L. Begeri *Thesauro Brandenburg.* Tom. I. pag. 165. et 166. producitur vnus cum capite Socratis, alter cum Capro, qui maximis raritatibus adnumerantur. Museum hungaricum hunc an. 1815. in *Nagy Szöny* inter rudera repertum Fran. Schmidt, in exercitu Caesareo-Regio condam Superiori Locumtenenti in acceptis refert. An certae tantum Ciuium classi ferreis annulis vti licuerit, aut vero cuicunque indultum fuerit? Antiquarii quidem non docent, videtur nihilominus promiscue facultas fuisse, metallum, quod placuit, adhibendi. Nam Petronivs *Satyric.* Cap. 52. Trimalchioni suo dedit *in minimo digito sinistrae manus annulum subauratum, extremo autem articulo digiti sequentis minorem ferruminatum.*

3) *Alius eburneus* argenteo circulo nuper laminatus, formae oualis, repraesentans affabre caelatum Ducem, in sella quiescentem, sago indutum, qui, extensa manu sinistra perorans, dextra hastam gerit, post tergum trophaeo stipatur, a fronte miles romanus perinde hasta armatus stat.

Gemmulae eburneae Graecorum, et Romanorum haud obuiae sunt, eaque de caussa non minus pretio raritatis gaudent, quam figurae, quae succino insculptae nonnunquam inueniuntur. Annuli cuiuscunque materiae, si trophaeis notentur, triumphales, vel historici audiunt, quum victoriam, vel aliud aliquod praeclarum, vel flagitiosum facinus indicare videantur. Hunc ad *Káránsebes* inuentum, tribus florenis argenteis Museum comparauit.

4) *Alius argenteus* latioris circuli, cui includitur carneolus, eleganter expressam referens aquilam, quae rostro vngulam tenet, insistentem contractis alis basi inter insignia virtutis bellicae, seu legionaria vtrinque posita Signa.

Inuentus an. 1809. in via Quinque Ecclesiensi inter Mohács, et Himesháza a Colono ad plagam *Vaskapu*, et an. 1820. a Ioh. Horváth *de Szent-György*, S. C. A. M. Camerario, Museo oblatus, cum praecedente eburneo, eiusdem comatis est. Aquila basi rotundae insidens signorum militarium praecipuum erat. Ab hac dicti sunt aquiliferi, quos Napoleon nuper in exercitu Gallico restaurare intendebat, aquilam scilicet super pertica positam gestantes. Per vngulam, quam aquila rostro premit, celeritas equestris pugnae designatur, Virgilio hanc *Aeneid.* Lib. VIII. v. 596. indicante: *Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campo.* Vtrinque trophaea confirmant victoriam, quae in numis saepenumero diuersa forma occurrunt. Annulus huius figurae extat in Passerii *Thes. gem.* T. I. Tab. 169.

5) *Alius argenteus* formae oualis, carneolum recipiens, signatum Marte galeato, hastatoque, qui manu sinistra incumbit scuto, cui caput Medusae incisum est.

Gemmulam hanc polite caelatam ex Bosnia Avgvstin. Milletich an. 1820. ad Museum hungaricum commeare fecit. Videtur ad aliquem militem pertinuisse. Militibus enim proprium erat, etiam gemmulas Marti sacras in digitis gestare. Vnde Ovidivs *Amor.* Lib. III. Eleg. 2. v. 49. exclamauit:

Plaude tuo miles Marti, nos odimus arma.

Digitized by Google

6) *Alius argenteus*, complectens carneolum, protuberante ignoto capite humano, multum iam attrito, eminentem.

Erutum an. 1813. *Vetero Budae* e terra, quum cellarium foderetur, Ant. Pintér pro Museo emit. Accedit forma, qui in Begeri *Thesaur. Brandenburg.* Tom I. pag. 161. habetur.

7) *Alius aureus*, communis sine gemmula, vel alia nota, olim tamen literis in interiore signatus, studiose deletis, vti vestigia perhibent.

Hunc, pro Regis Geisae I. annulo coniugali sine fundamento habitum, Car. Szerdahelyi *de Eadem* Comit. Barsiensis Tab. Iud. Assessor diu possedit, prouocatus, Museo nationali deuouit. Sed primo obtutu ast Antiquariis fabrica romana agnita fuit. Infiniti enim in vno cumulo huius formae annuli e diuerso metallo in Italia, Hispania, et Gallia reperti sunt, qui militibus in praemium virtutis dati fuerunt. Primis Imperii saeculis duntaxat Equitibus concedebantur. Livivs enim *Hist. Rom.* Lib. XXIII. Cap. XII. perhibet, in pugna ad Cannam, Carthaginenses supra tres modios annulorum e diuerso metallo ab interfectis Equitibus, et Senatoribus romanis collegisse. Posteriori aeuo etiam Plebei aureis vtebantur annulis, quos laeuae manus quarto inserebant digito, quem annularem nominauere.

8) *Alius aureus*, non tenuem circulum, sed lamellam orbicularem referens, in medio legitur FIDEM in circumferentia CONSTANTINO.

Insignis haec saeculi III. raritas inuenta est in *Sirmio*, et a Ioan. Matizovich Museo donata, cui tanto maius inest pretium, quanto certius habetur, integras voces in annulis rarissime comparere, sed tantum initialibus literis Inscriptiones exprimi. Begervs in *Thes. Brandenb.* Tom. I. pag. 157. vnum producit cum nomine *Vrbianae*. Antiquarii id de huiusmodi annulis, aliquo nomine signatis, notarunt, quod moribundi eos, quibus tales tradebant, eo ipso haeredes suos constituisse censerentur.

9) *Alius aureus*, cui insertus carneolus figuram Amoris, sagitta, et arcu armati, exprimit.

Inuentum *Budae* in vineis, Archidux Iosephvs Palatinus largitus est. Annulus iste mythologicus indicans, quod puer Deorum quidem natu sit minimus, inquit Pomey *Panth. myth.* Par. I. pag. 99. attamen potentia fortissimus, quum incautos sagitta ferit, vti Ovid. *Heroid.* Ep. 18. ait:

Aut ego non noui, quam sit temerarius: aut me
In freta non cautum tunc quoque mittat amor.

10) *Alius aureus* cum smaragdo, cui Marcianae, sororis quippe Traiani Imp. caput, antiquitatis pretium conciliat.

Gemmula haec ad limites Valachiae inuenta est, manum artificis graecanici elegans labor loquitur; circulus aureus, cui includitur, recentis est operae. Museum pretio vnius aurei redemit. A nomine Marcianae in Moesia (vbi hodie Valachia est) ciuitas Marcianopolis appellationem accepit, perhibente Ammian. Marcellino *Rer. gestar.* Lib. XXVII. Cap. IV. edition. Valesianae fol. Paris 1681. pag. 484.

11) *Alius aureus*, cui inclusus carneolus caput Horatii, nitidissime sculptum, refert.

Digitized by Google

Hanc quoque gemmulam Museum vno aureo comparauit. Caelatura prorsus affinis est iconi, quam Bentleius Operibus Q. Horatii Flacci in editione Lipsiensi 1764. praefixit. Moris quippe fuerat, amicorum imagines gemmulis incidere, in digitis deportare, et annulis (vt Vopiscvs in *Aureliano* pag. mihi 190. nominat) sigillariciis adhibere. Horatium amicis neutiquam caruisse, ex Svetonio, qui illius biographiam adornauit, clare elucescit. Etiam Ovidio charum fuisse, docet versiculus *Trist.* Lib. IV. Eleg. X:

Et tenuit nostras numerosus HORATIVS aures:
Dum fecit Ausonia carmina culta lyra.

12) *Alius aureus*, in chalcedone caerulescente delicate sculptam continet Dianam pharetratam.

Gemmulam hanc, Makoviae effossam in horto, Lad. Baloch, Salis Perceptor aureo circulo incingi curauit, et Museo sacrauit. Etsi Dianam varie pingi, ex iconibus apud Schatzivm *Antiq. Graec. et Roman.* Tab. XVIII. et apud Gorivm *Antiq. Etrusc.* Tab. V. cognitum sit, pharetram tamen singulare illius esse symbolum etiam Ovidivs *Heroid.* Epist. XX. v. 204. confirmat, cum ait:

Sacra pharetratae dum facis ipsa Deae.

Huc fortasse respexit Sculptor, dum eandem huic gemmulae incidere conatus est.

13) *Alius aeneus*, auro tinctus, qui in carneolo refert aquilam triumphalem, portantem rostro lauream Coronam, ac rotundae basi insistentem.

Gemmula haec ad omnem elegantiam efficta est, quam, in Comitatu Albensi repertam, Ant. Hvszár aureo filo constringi curauit, et Museo deuouit. Est sane singulare monumentum bellicae fortitudinis, tum, quod Vegetivs *de re militari* Lib. II. Cap. 13. asserat, totius Legionis princeps signum fuisse aquilam; tum quod Corona triumphalis ex lauro concinnata fuerit, filis, foliisque laureis intermixta, ad formam a Schatzio *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CXX. fig. 1. et 8. exhibitam. Vtrumque in hac gemmula concentratum est, proinde indicare, quod benemerenti corona laurea concessa fuerit, nullum est dubium.

14) *Alius* rubigine per vetustatem adeo iam consumtus, vt nec auriculari digito amplius applicari possit, tametsi sat solide fabricatus sit. Gemmae loco ipsi aereo, sat lato, circulo figura aliqua, siue nota gestanti propria, insculpta fuit, quae tamen adeo attrita, vt nequaquam distinqui queat. Fuisse itaque signatorium orbicularis notae confirmat vestigium.

Inuentum *Vetero Budae* in Coemeterio Ant. Pintér pro Musco obtinuit. Similis fere est apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXVIIII. fig. 3.

15) *Alius argenteus* continens Carneolum formae rotundae, caelatum elegantissime, Minerua cum Aegide.

Redemtus est ab Hebraea *Lövi* duobus aureis.

16 - 17) *Alii* duo equestres sine nota, ad formam sponsalitiorum nostrae aetatis, quorum vnus ex flauo aere, alter ex corinthiaco argentato effictus est.

Digitized by Google

Vtrumque *Sisekii* ex urnis exceptum Pavl. Bittroff Museo largitus est. Talismodi annuli, nisi locus, in quo inuenti sunt, fide digne constet, pro Romanis censendi non sunt.

18) *Gemmula*, Onyx videlicet oualis formae, nobilissime caelatam referens Naidem, velo tectam, cui sedenti in lecto iuuenis Satyrus lenocinatur.

Museum hanc gemmam, paulo maiusculam, vbiubi repertam, pro duobus aureis an. 1815. procurauit. Figurae politissime incisae videntur alludere ad fabulam, cuius Ovidivs *ex Ponto* Lib. IV. Epist. XVI. v. 35. meminit, *Naidas a Satyris caneret Fontanus amatas.* Namque *Fastor.* Lib. I. v. 397. ait, quod omnino sit, *in Venerem Satyrorum prona iuuentus.* Est itaque illius iconismus ex Mythologia petitus, quam Schatzivs *Antiquit. Graec. et Rom.* Lib. I. cap. 3. §. 3. verissime asseuerat, ferme totam ex ingenti gemmarum numero, quae passim in Museis locupletioribus deprehenduntur, condiscendam esse. His enim non tantum historias, sed etiam commenta imprimere, apud Veteres adeo in consuetudinem abiit, vt Diis quoque suis illuderent foedissimis imaginibus. Teste Clemente Alexand. Oper. Tom. I. inter *Strom.* Lib. I. cap. V. pag. 662. iam Pythagoras Deorum imagines gemmis insculpi vetuit, ne conspectus frequentia contemtum pareret.

19) *Alia* eburnea, quae caput ignotum exhibet, pileo tectum, barbatum, senili vultu nitide caelatum.

Formae est orbicularis, et minimi moduli, ex circumferentia adparet, annulo insertum fuisse, vti etiam duae anteriores gemmulae, quarum lamellae diuturnitate temporis probabiliter sub terra deperditae, vel plane consumtae sunt. Ebori fuisse apud veteres pretium, patet ex Virgilii *Aeneid.* Lib. I. v. 592. – – *manus addunt ebori decus.* h. e. Artificis, *vbi flauo* – – – *circumdatur auro.* Leop. *de* Stvr istam in Comit. Hevesiensi pro Museo impetrauit.

20) *Alia* ex achate maioris moduli, qui orbiculari obsidiano agglutinatus, crispum caput romanum iuuenile, et imberbe, anaglyphice caelatum proponit.

Quis sub hoc capite lateat, nondum detegere licuit. Id certum est, gemmam istam, qua L. R. Ciuit. Budensis Magistratus Museum ditauit, haud mythologicam, sed historicam esse. Quemadmodum autem gemmas in memoriales, historicas, et fabulosas partiri moris est, ita Libri, qui de his prodiuere, aestimatissimi sunt, quum plurimas notitias antiquarias largiantur, quae vnice ex gemmis haustae sunt. Sint licet in iis figurae persaepe tam exiguae, vt vix discerni queant, tamen hoc commodi ferunt, quod pro fonte haberi queant. Materiae durities non patitur illas diuturnitate temporis, situ, et rubigine facile consumi. Cfr. Lippert *Daktyliothek. III. Bände* 4. *Leipzig.* 1767 – 1776. item Gorii Fran. Ant. *Thesaur. Gemmarum antiquarum. Tomi III. fol. Florentiae* 1750.

21) *Chalcedonius* orbicularis, cui eleganter incisa est Ceres pallio tecta, dextra spicas, sinistra vero manu, terram versus demissa, papauerum manipulum tenens. In margine dextrorsum conspicua est litera V. sinistrorsum autem tres IMM. coniunctae adparent.

Gemmula haec indubie olim annulo inserta, censetur esse mythologico-symbolica. Id enim exploratum est, sub Cerere nunquam non frugum fertilitatem intelligi, confirmante Ovidio *Metamorph.* Lib. V. v. 341.

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris sumus omnia munus.

Digitized by Google

Cum enim antea agri, limite haud partiti, et signati, sed omnia omnibus communia essent, constabilita Lege agraria, Romani Cererem venerari coeperunt, eidemque varias indiderunt formas. Huius gemmulae figura discrepat ab iconibus Deae, quae apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. IX. fig. 5 - 11. et apud GORIVM *Antiquit. etruscar.* Tab. VII. fig. 7 — 11. proponuntur. Tallaris enim ei propria vestis, in hac mutationem subiit, et in pallium e dorso pendens conuersa est. Dissimilitudo ista fortasse Poetis, vel Pictoribus tribuenda est. Veterum quippe figmenta mythologica in figuris Deorum, Dearumque tantae induxerunt variationes, vt iam sua aetate HORATIVS in *Arte poetic.* v. 7. quaestus sit:

— — — — — — — — — vanae
Finguntur species, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formae. Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.

Literarum significationem missam facio, ne fortasse aliquid promerem, quod eruditorum palato minus arrideat.

22) *Carneolus*, oualis formae, Mineruae galeatae, loricatae, et hastatae figura, perquam fabre signatus.

Gemmula haec mediocris moduli, indubie olim annulo inclusa, mythologica est, ad formam, qua Phidias Mineruam Atheniensium in Acropoli effinxisse creditur. *Bellica Phidiaca stat Dea facta manu.* OVID. ex Ponto Lib. IV. Eleg. I. v. 32.

23) *Onyx*, qui se Tauri figura, nobilissime caelati, distinquit, probabilius olim ornamentum digiti fuerit, formaque ad orbicularem fere accedit.

Elegantes has tres gemmulas, vtpote Chalcedonem, Carneolum, et Onychem, in Regno Bosniae effossas, AVGVSTIN. MILLETICH, pro suo Museum nationale locupletandi ardore, an. 1821. Sereniss. Archiduci IOSEPHO Palatino ex Fojnicza misit. Etsi vero Onyx tauro signatus, varias patiatur ex mythologia interpretationes, non mihi tamen persuadeo esse mythologicum, sed potius symbolicum. Veteres enim agriculturae studium plerumque bobus, ad agrum subarandum aptissimis, in gemmis indicare consueuerunt.

§. V.

Arma varii generis.

1) *Gladius* aereus cum manubrio ex vno, eodemque frusto paris metalli, nitidissime caelato, digitos tres latus, et duos pedes longus.

Effossus est ante plures annos in oppido *Keszthely* ad Balatonem, vbi municipium Romanorum extitisse, Historici notarunt. Optime conseruatum, et nobili aerugine obductum Comes EMER. FESTETICS *de Tolna*, S. C. et R. A. M. Camerarius Museo donauit. Eius forma accuratissime cohaeret typo, quem SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CXI. fig. 21. exhibet.

2 - 3) *Alii* duo eiusdem formae, perinde eleganter caelati, priore tamen quinque digitis breuiores, minus quoque lati.

Digitized by Google

Inuenti an. 1813. profunde sub terra in Comitatus Szabolchensis possessione *Nagyfalu* cum pluribus aliis instrumentis romanis, e quibus eiusdem Comitatus Generalis Perceptor, et Tab. Iud. Assessor Sam. Bonis *de Tolcsva* duntaxat his duobus Musei antiquitates adauxit. Licet vsu ferri reperto, illico gladios aliaque instrumenta ferrea procusa fuisse, exploratum sit, nihilominus ex Livii *Hist. Rom.* Lib. XXV. cap. 39. aliisque coaeuis Scriptoribus clare elucescit, Romanos diu repudiasse ferrum, sed gladios, et alia quaeuis arma ex aere confecisse. Romae integrum Armamentarium, armis aereis refertissimum, condam repertum fuisse, notissimum est, sed nec in Museis alios gladios Romanorum, quam aereos asseruari, certum habetur. Vnde mirari subit, ex quo fonte Fabrettvs in *Syntagm. de Columna Traiani* pag. 109. adstruere potuerit, iam ante tempora Traiani vsum armorum aereorum penitus abolitum esse.

4-5) *Secespitae* duae, siue gladii, vel cultri oblongi, non modo ad dimicandum, sed etiam ad iugulandas victimas adhibiti, qui in longitudine duos pedes, in latitudine totidem digitos numerant, et in vtraque ora acuminati sunt. Manubrium desideratur, attamen perforatae sunt in locis, vbi capulo clauis infixas fuisse, adparet.

Typum Secespitae dedit Schatzivs in *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab, LVI. fig. 9. qui illas, quas Museum in *Németh Liptse* per eluuionem detectas, ex liberalitate Emer. Pongrácz *de Szent Miklós et Óvár* possidet, ad vnguem exprimit. In museis Italiae vidi ornatissimas, scilicet manubrio vestitas, orbiculariter ornato, ex ebore, aureis, argenteis vel aereis clauis firmatas. In Secespitis Musei hungarici foramina etiamnum videntur, per quae claui ducti fuere, solidaturi manubrium.

6) *Item alia* minus lata, quam priores duae, optime conseruata.

Nuper inuentam ad Neosolium obtulit an. 1823. Lvd. Beniczky *de Eadem* I. Comit. Zoliensis Ord. Notarius.

7) *Hasta* semialterum pedem longa, superius in acumen desinens, in parte inferiore tres digitos lata, olim perticae affixa ligneae, quae sub terra computruit, bene conseruata.

Obtenta est ex Sövényháza ab Alexand. Nevholdt *de Sövényháza.* Eius typus prostat in Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CXI. fig. 30. plene conformis.

8) *Alia* perinde aerea eiusdem formae, quinque duntaxat digitis minor, in sua integritate.

Ex *Nagyfalu* missa ad Museum a Sam. Bonis *de Tolcsva.*

9) *Alia* aerea, eandem praeseferens formam in altitudine decem digitorum, si excipias partem inferiorem, quae non est rotunda, sed in acumen assurgit.

Museum percepit ex *Németh Liptse* ab Emer. Pongrátz *de Szent Miklós, et Óvár.* Iconismum illius exhibet apud Schatzivm *Antiq. Graec. et Rom.* Tab. CXI. figura 26.

10) *Alia* aerea, etiam bene conseruata, sex digitos alta, tres lata, et acuta.

11) *Alia* ad vnguem praecedenti similis, sed quinque solummodo digitorum.

Vtramque, in terreno *Zabariensi* Comitatus Gömöriensis acutam, et bene conseruatam, effossam, Archidux Iosephvs Palatinus Museo tradidit. Forma, neutra differt a figura 30. quae in Tab. CXI. apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* videri potest.

Digitized by Google

12) *Alia* aeque eiusdem formae, attamen magnitudine quinque digitos plene non attingit.

Repertam in Comitatu Hontensi, Marcvs Szentivànyi *de Eadem* complurium I. Comitat. Tab. Iud. Assessor Museo addixit.

13) *Alia* septem digitos metiens, cum priore eiusdem formae.

Hanc Museum post obitum episcopi Ant. Mandich a Camera Reg. Hung. Aul. accepit. Tum haec, tum prior accedit forma ad fig. 30. Tab. CXI. in Schatzii *Antiquit. Graec, et Rom.* Ad vetustissima arma Hastas pertinuisse, abunde ab Antiquariis demonstratum est. Putantur ab Etruscis originem traxisse. Apud Romanos his Legionarii pedites armati fuerunt. Fuisse aliquas etiam armentatas, quae scilicet ligamen habebant coriaceum, cui digitus inserebatur ne manibus elaberentur, constat ex I. Lipsii *Poliorcetic.* Lib. IV. Dialog. V. Quod tamen de grandioribus duntaxat intelligendum existimauerim, quae validas vires deposcebant. Virgilivs enim *Aeneid.* Lib. II. v. 50. ait:

– – – – validis ingentem viribus hastam
In latus inque feri curuam compagibus aluum
Contorsit. – – – – – – – – – – – –

Erant quoque hastae argenteae, quae *purae* dicebantur, datae in signum honoris illis, qui strenue, et fortiter se gesserunt; prout Fl. Vopiscvs in *Vita Probi Imp.* edition. Bipontin. Tom. II. pag. 211. perhibet Probum, adhuc Tribunum, quatuor talismodi hastis puris donatum esse. Hastas perticis ferro affixas disparis longitudinis fuisse, ex Trebellio Pollione edit. Bipont. in *vita Diui Claudii* Tom. II. pag. 139. et seqq. clarum euadit. Temporibus M. Aurelii longitudo militis altitudinem aequauit, sub Theodosio longitudo duntaxat quatuor pedes numerauit. Minores quinque scilicet, et quatuor digitorum, etiam in hostes instar iaculorum proiectae sunt. Cicero enim de Orat. ait: *Samnites, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur.* In Hungaria hastae maioris formae rarius, minoris frequentius inueniuntur. Ceterum id quoque notatum esse velim, quod apud Scriptores veteres *lancea* persaepe pro *hasta* vsurpetur.

14) *Pilum ferreum*, quod ex solido ferro, triangulari forma, in acutum, quinque digitos altum, conum assurgit.

Pilorum Polybivs in *Fragmento de Castrametat.* num. 6. meminit. Erant quippe tela in crassitie digitali, vnius spithamae longa, ligno, duos cubitos metienti, fortiter infixa, quaedam crassa fuere, quaedam tenuia, quaedam rotunda, non nulla etiam triangularia, prout apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CX. fig. 5. proponuntur. Differunt a Iaculis, quod haec ex catapultis eiacularі consuetum fuerit, pila contra libera manu proiecta sint. Ista Romani cum impetu in hostes vibrabant, antequam gladiis dimicaretur. Aliquid affinitatis habent cum telis Turcicis, qualia Museum possidere, *Sect. III. §. IX. num.* 7. insinuatum est. Istud possidet ex oblatione C. Leop. Andrássy *de Krasznahorka.*

15) *Aliud* perinde e tenuiori lamella ferrea, terrebrata, figura triangulari formatum, in acumen sursum versus productum, e cuius medio longior conus deorsum pendet, qui infibulatus fuit bacillo e durioris ligni specie, in longitudine non plene duorum cubitorum rotunde tornato.

16) *Aliud* rubigine iam consumtum, duntaxat fragmentum est, praecedenti affine.

Digitized by Google

Acicularia haec instrumenta mortifera ad postremum labescentis Imperii Romani aeuum referenda sunt, tametsi non negauerim, iam primis reipublicae temporibus ferri vsum in armis factum esse. VIRGILIVS in pluribus locis ferri meminit, e. g. *Aeneid* Lib. IV. v. 580.

– – – – Dixit ; vaginaque eripit ensem
Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.

Sed quis ab illa aetate ensem, aut aliud Instrumentum bellicum, e terra erutum, post tot saecula incorruptum in lucem protractum, fide digne affirmare audeat? Sunt ergo, quae existunt, supra saeculum IV. vix protendenda, eaque tantum talia, quae in admodum sicco loco iacebant, prout duo ista hastarum spicula ferrea in Museo Hungarico prostantia PAVLVS BITTROFF *Sisciae* inter rudera aedificii Romani reperit. Formam talismodi teli videre licet apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. XVI. fig. 7.

17) *Dolabrum* aereum, seu (vt aliis placet) *Securis*, qualis a Lictoribus, fascibus illigata, Romae Consulibus, et Praetoribus, in Prouinciis vero Proconsulibus, et Propraetoribus praeferri solebat. Ex nodo medio, cui capulus inserebatur, versus dextram effluit lata duos digitos bractea, ad secandum apta, sinistrorsum breuem stilum orbicularis lamina tegit, in colliculum acutum surgens.

Plurimum accedit ad cambucam hungaricam, quam Csákány nominamus, aut etiam ad iconem: quae editioni Gronouianae Amstelodam. 1702. L. ANN. FLORI pag. 496. inserta est. Si formam dolabrorum, quorum in Hungaria, et Transsiluania complura iam inuenta sunt, spectes, haud alium vsum eorum fieri potuisse, mihi persuadeo, quam, quod ad fasces adhibita fuerint Proconsulum, vel quod etiam ad alias operas milites ea vsurpauerint. Dolabrorum istorum typum apud MONTFAVCONIVM frustra quaesiueris. Istud exemplar inuentum est in Transsiluania, et ab Excell. C. IOAN. ESZTERHÁZY *de Galántha*, S. C. et R. A. M. Camer. Act. Int. Stat. Consil. ad Excel. Cancellar. Reg. Transsil. Aulic. Referend. ac I. Comit. Weszprim. Supr. Comite Museo cessum.

18) *Aliud* simile, perinde solida orbiculari bractea armatum, quae acuminato nodo praedita est.

Perceptum est ex *Nagyfalu* a SAM. BONIS *de Tolcsva.*

19) *Aliud* priori plene affine, duntaxat, quod ex bractea longior cuspis promineat.

Inuentum in fluuio *Kraszna* Museo dicauit MICH. SZÉKELY *de Killyen*, S. C. et R. A. M. Camer. Consiliar. Aul. et ad Excel. Cancell. Reg. Aul. Transsiluan. Referendarius.

20) *Aliud*, in quo bractea paululum minor est prioribus, vti etiam ex ea protrusus nodus acuminatus.

Missum est ex *Németh Liptse* ab EMER. PONGRÁCZ *de Sz. Miklós et Óvár.*

21) *Aliud* priori prorsus affine.

Ad Museum peruenit post decessum episcopi ANT. MANDICH.

22) *Aliud* eiusdem formae cum parua bractea, et acumine.

Digitized by Google

Effossum in Comit. Baranyen. possessione *Nádasd* Ios. Angyal Rationista episcopi Quinque-ecclesiensis Museo resignauit.

23) *Aliud* eleganter fabricatum, et integre conseruatum, sine vlla bractea, vel nodo, sed ad formam hodiernae securis, in dorso affabre caelatum, patente foramine, per quod pertica lignea probabilius traducta fuerit.

Istud nitidum instrumentum aereum in *Csákvár* inuentum est, et a Nic. e Comitibus Esterházy *de Galántha* ad Museum nationale transpositum.

24) *Parazonium*, quippe virga aerea tres pedes longa, eminens in extremitate tornato acumine, superior virgae pars infigitur bracteolae rotundae, quam capulus tegit nodulatus, et nitide caelatus.

25) *Aliud* duos, et dimidium pedem longum, cum capulo nodulato eiusdem metalli, sed sine bractea.

26) *Aliud*, prorsus simile, sed ex virga pars desideratur.

27) *Aliud* duos pedes longum, in vicem capuli bractea orbiculari maiore, quae manum tegit, praeditum est. Ex hac pendet tenuis virga aerea.

28) *Aliud* priori adaequate simile, duntaxat ex rotunda bractea frustum effractum est.

29) *Aliud* eiusdem longitudinis, capulum supplet bractea rotunda, quae in medio nodum gerit acuminatum.

Ista sex schemata, in *Németh Liptse* effossa, ad Museum Emer. Pongrácz *de Szent Miklós et Óvár* ex Liptouia promtissime relegauit.

30) *Aliud* minorem, caeterisque tenuiorem refert virgam, vti etiam proportionatam laminam.

31) *Aliud* priori prorsus simile.

32) *Aliud*, virga in longitudine vnius pedis instructa, cui lamina rotunda in latere affixa est.

Inuenta sunt partim in *Föveny*, partim in *Pentele*, et a Fran. Vörös *de Farád* Museo transscripta. Erant vero Parazonia Tribunorum militarium ornamenta, quae honoris caussa zonae adpendebantur. Martialis enim *Epigram.* Lib. XIV. epig. 32. ait:

Militiae decus hoc, et grati nomen honoris:
Arma tribunicium cingere digna latus.

Colessvs ergo in notis ad vsum Delphini 4. Parisiis 1680. pag. 739. errasse videtur, quum Parazonium genus gladii militaris fuisse existimauit, quod tamen nec speciem quidem bacilli praesefert. Fortassis

Digitized by Google

instrumentum fuerit, quo Tribuni vsi sunt ad milites, in linea locatos, nomine designandos, et facilius connumerandos, prout hodie fit, Gallique *Fétes de commandément* dicunt. Montfavconivs Parazoniorum formas aeri incidi nullas curauit.

§. VI.

Vasa, Paterae, Ollae, et Amphorae.

1) *Patera* manubriata ad libamen inter victimarum cornua profundendum, et cumprimis ad excipiendum victimarum sanguinem destinata, confracta quidem e terra eruta est, sed frustis adhuc integris iterum complicata. Capulus perinde aereus, qui bene conseruatus, et nitide caelatus, capite arietino terminatur, ab artificibus iam saepius delineari meruit.

Vtebantur Romani talismodi Pateris in Sacrificiis, quum tauros Ioui immolarunt, prouti Virgilivs *Aeneid.* Lib. VII. v. 133. innuit:

Nunc pateras libate Ioui, precibusque vacate.

Insigne hoc admodum rarae antiquitatis monumentum se nitore distinguit, inuentum est sub terra in *Föveny*, et adaequate cohaeret cum typo, quem Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LV. fig. 7. dedit, eidemque etiam affinis est in Begeri *Thesauro Brandenb.* Tom. III. pag. 424. Vnde patet patinas Sacrificales ad vnam, eandemque formam fabricatas fuisse. Museum isthoc donum debet Fran. Vörös *de Farád.*

2) *Alia* ex cupro, orbicularis formae, magna, bene conseruata, et cibationi accommoda, nullis tamen ornamentis decoratur.

Pateras huius generis Graeci *paropses* nominarunt, suntque rarae, vti omnia fere instrumenta coquinaria. Si erisma demas, similis est typo apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LV. fig. 4. Inuenta an. 1808. *Albae Regiae* in suburbio Budensi ad aedes Ignat. Stràdl, in Schola triuiali Magistri, Musco importata fuit.

3) *Alia* parua, tenuis lamellae cupreae, aerugine nondum vitiata.

Etiam coquinaria putanda est. Demta ansa, accedit ad Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LV. figuram 15.

4) *Alia*, mediocris formae ab aerugine repurgata, munita est ansa.

Vtramque in Comitatu Albensi ad *Velencze* Fran. Vörös *de Farád* inuentam obtulit. Posterior accedit ad typum in Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LV. fig. 5.

5) *Ollula*, admodum exigua, aerea, duplici ansula instructa, ignoti vsus.

Haec in Comitatu Hontensi effossa a Marc. Szentiványi *de Eadem* raritatis caussa Museo inferenda videbatur. Apud Schatzivm in *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIII. fig. 5. ei conformis de-

Digitized by Google

lineata est. Etsi coquinariae formae esse, dubitari nequeat, malim tamen lusui potius, quam vsui accommodam dicere.

6) *Canistrum* magnum, formam praeseferens dolii, circulis septi, cum manubrio, polite fabricato, ex quo illud pendet. In hoc, per vetustatem multum vitiato, Victimarii immolandorum animalium exta portabant.

Aerea huic vsui destinata vasa, extra Romam sunt rarissima. In CANTELIO *de Republ. Roman.* Part. II. pag. 45. eius figura depicta est. Effossum in *Föveny* FRAN. VÖRÖS *de Farád* Museo sacrauit.

7) *Operculum* ex tenui lamella aerea, probabilius operiendis ollis in culina deseruiebat.

Repertum ad ripam Danubii pone Comáromium Ios. BÉLY ad Museum transposuit.

8) *Vas* aereum magnum, facile quatuor sextariorum capax, ad focum pro calefacienda aqua adhibitum, nitide tesselatum, vtrinque ansa instructum, orificio sat magno praeditum, inferne angustius, erismati latiori insistit, sed rubigine nimiopere exesum.

Eius forma cognosci potest ex iconismo apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXIII. fig. 6. Inuentum in *Nagy Falu* a SAM. BONIS *de Tolcsva* perceptum est.

9) *Vrnula* ex aere corinthiaco orbicularis, et affabre caelata.

Haec est eadem vrnula, in qua *Sect. IV. §. II num.* 10. repertam fuisse Mulierem ex osse sculptam, cum numulo cupreo Maximiani Armentarii Imp. et confracta armilla ex nigro vitro, et a FRAN. VÖRÖS *de Farád* Museo donatam, insinuatum est. Esse itaque vrnam sepulchralem haec confirmant.

10-11) *Aliae*, aut potius fragmenta duarum vrnularum ex aere corinthiaco caelatarum, et aeruginosarum.

Spectata exigua forma, non fuerint sepulchrales, sed ad alium vsum destinatae. Museum vtramque percepit ex *Alibunár* a Ios. SCHIESSL.

12) *Amphora*, vltra duos sextarios recipiens, liquoribus fundendis, et conseruandis apta, inferius latiore vmbilico potitur, superius in angustum conum assurgit, manubrium, cuius vestigia adparent, fractum est, aerugine per totam amphoram extensa.

Huius delineatio in SCHATZII *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIII. fig. 10. prostat. Effossam an. 1818. in *Nagy-Szöny* Comes IOAN. ZICHY *de Vásonykö*, S. C. et R. A.M. Camerarius Museo resignauit. Amphorae aereae sunt rariores, figulinae contra frequentiores. Graeci illas vocant *epichyses*. In eo omnes conueniunt, quod angusto ore fuerint.

15) *Epichysis*, vni sextario accommoda, cuius ansa adhuc integra est, ex aere corinthiaco, ac perinde fundendis liquoribus idonea.

Accessit Museo ex concessione FRAN. VÖRÖS *de Farád*. Eius iconismus quaerendus est in BEGERI *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 392. vbi rarioribus accensetur. Talismodi minorem amphoram, si in Sacrificiis eius vsus factus est, *guttum* nominarunt.

Digitized by Google

15 *Vrceus* aeneus cum epiglosside, sextarii hungarici capax, vmbilico sat extenso, nitide fabricatus, sed vetustate valde consumtus.

Missus est per Praefecturam Armorum ex Confiniis militaribus Croatiae. Parem huic typum dedit Schatzivs *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIII. fig. 4. Vrcei aerei rari sunt, minus figulini.

§. VII..

Instrumenta et Fragmenta miscellanea.

1) *Pes equinus*, aut verius fragmentum anterioris pedis equini cum ipsa solea, ex aere corinthiaco.

Ex forma huius frusti diuinare perquam pronum est, illud ex ingentis molis statua reliquias esse. Inuentum fuit ad *Cserevicz*, et ab Excell. Com. Ios. Brvnszvik *de Korompa*, I. Ord. S. Stephi. R. Apost. Commendat. S. C. et R. A. M. Camerar. Act. Int. Stat. Consil. per I. R. Hung. Tauernicor. Regal. Magistro, et Excel. Cons. R. L. H. Consiliar. et ad Excel. Tab. Septemuiral. Co-Iudice Museo donatum. Si Fl. Vopisco in *Vita Probi Imp.* fides habenda est, Probus Imp. e Pannonia oriundus, in Ciuitate Sirmio primam aspexit lucem, et ab omnibus amatus fuit, quod teste Sex. Avr. Victore in *Epitom. de vit. et morib. Imp. Rom.* Cap. XXXVII. per milites Almum montem apud Sirmium vineis conseruerit. Ideo, aliisque de caussis colossalem ei statuam ibidem positam perhibent Historici tum veteres, tum recentiores. Non ergo vane putatur isthoc equini pedis fragmentum ex Probi monumento superstes esse. Vtinam! aliquem ita beatum esse contingat, vt in alias partes sub terra reconditas offendat. Gallorum profecto laudanda est industria, qui an. 1760. pedem equi aereum ad Lugdunum effoderunt, et reliquas partes etiamnum quaerunt. Hunc in finem Comes *de Forbin* Musei Regii Parisini Director eorsum missus est. V. Rösler *gem. Blätt.* 1822. pag. 111.

2) *Statera*, vel libra parua, cuius iugum adhuc integrum est, patinulae tamen per temporis diuturnitatem, contracta aerugine, sub terra imbecilles effectae sunt. Elater vero desideratur.

Figura illius exstat in I. B. Bovdard *Iconologie* Tom. I. pag. 186. Inuentam raritatem in *Péter Csákvár* Museum accepit a Comite Nic. Eszterházy *de Galántha*. Statera, quae etiam *trutina* vocatur, aut *bilanx*, pondere duarum lancium oppositarum ope examinabatur.

3) *Alia*, alterius formae, e cuius videlicet iugo catenula pendet cum tribus vncis ad res ponderandas.

Haec reperta est in Bosnia prope arcem *Gliubusski*, immurata parieti vetustae domus, et inde ab Avg. Milletich Episcopo ad Museum an. 1821. transposita. Forma ab hactenus cognitis staterulis tum ista, tum etiam prior distinguitur. Montfavconivs neutrius typum dedit. Assimilari possunt hodiernis bilancibus aurifabrorum, et pharmacopaeorum.

4) *Croatium* quadrangulare paruum, quo Romani res minutas ponderarunt, pendens ex tenui catenula, perquam suspendebatur staterae, quum eius vsus faciendus erat.

Digitized by Google

Singularem hanc raritatem Demetr. Dvmtscha in propria vinea *Wissegradini* inuenit, et Museo intulit, cuius formam Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXVI. figuris 23. 24. et 25. exhibuit. Notitiam drachmarum, vnciarum, assium, semissium, quadrantum, scrupulorum, etc. quae hodiedum in vsu sunt, a veteribus accepimus, et quae ad nostra pondera, et mensuras Eruditi reuocare conati sunt, inter quas Car. Arbvthnotivs eminet. Eius enim *Tabulae antiquorum numorum, mensurarum, ponderum, pretioque rerum venalium variis Dissertationibus explicatae, et exemplis illustratae.* 4. *Lugduni Batauor.* 1764. plurimum celebrantur.

5) *Sera* ex osse efficta, potius artificii, quam certi alicuius vsus, fabricatum haberi debet. Forma illius triangularis est, instar cordis, in medio ostendens pro claui locum.

Reperta est in sarcophago *Sisciae*, et a Pavl. Bittroff ad Museum amandata. Videtur sub hoc minus polito fabricato aliquod symbolum latere. Cur enim alias ad sarcophagum reposita fuisset?

6) *Larua* aerea, referens in forma ouali vultum mystacati viri.

Inuenta est an. 1820. Strigonii a Mich. Závodi, a quo Museum accepit. Laruarum diuersissime figuratarum infiniti prostant iconismi apud Henr. Christoph. Begervm in *Commentatione de Laruis.* 4. *Francof.* 1723. quibus comici, histriones, et mimi, ex inuentione Aeschyli, in theatris comparebant, quum antea, vultum variis coloribus commaculabant. Inde euenit, quod iste stultam figuram, qua Spectatoribus placuit, pingi, ille in argilla, cera, vel pasta exprimi curauerit; aereae rariores sunt, duntaxat honoris caussa procusae.

7) *Annulus* corneus maioris moduli, per quem voluti, et constricti fuere mulierum capilli calamistrati, ac ad modum funium multo fatigio contorti, prouti hunc luxum capillarem hodie puellae, et matronae aemulantur. Romanis mulieribus singulare studium erat, capitis ornatum affectare.

Vsum talismodi annulorum facile assequi licet ex figuris apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXVI. num. 12. 13. 16. Inuentum *Mitrouicii* in sarcophago, Can. Ioan. Matizovich Museo misit.

8) *Collarium*, siue catenula ex admodum imbecillis aereis filis ad longitudinem vnius pedis contexta, olim etiam inaurata, quae probabiliter ad mundum muliebrem spectabat.

In eodem sarcophago reperta. Foeminis ad ornamenta fuisse catenulas diuersi metalli, confirmant complura exemplaria, quae in vrnis, tumbisque sepulchralibus inuenta sunt. Opulentiores his etiam gemmas miscuerunt.. Forma talismodi catenularum extat apud Schatzivm *Antiq. Gr. et Rom.* Tab. LXXXVIII. fig. 32.

9) *Acicula* tenuis, quatuor digitos longa, condam inaurata, in apice perforata, pro mulieribus ad confibulanda strophia.

Etiam ista in eodem sarcophago inuenta fuit. Huiusmodi acus persaepe indutae fuerunt formis, et vices suppleuerunt fibularum ad connectendas vestes, vti cognosci potest apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXVI. ex figuris 8. 9. 10. et 18. Quum ad minutias referantur, pleraeque sub terra consumtae sunt, et admodum paucae supersunt.

10-11) *Armillae* argenteae, ad ornatum muliebrem pertinentes, duos digitos

Digitized by Google

latae, ex filis argenteis strictissime contextae, additis praeterea fibulis, quibus brachio, vel manibus alligatae fuerunt.

Vti memoratum annulum, collarium, et aciculam in eodem sarcophago Mitrouicii inuenit, ita in illo quoque loco has armillas reperit Ioan. Matizovich, et illis Museum adauxit. Formam illarum praebet Schatzivs in *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXVI. fig. I. Fuerant apud veteres adeo communes, vt non modo Graeci, et Romani, sed omnes nationes vel in brachio, vel in manibus armillas ex diuerso metallo, et persaepe grauissimas, non minus viri, quam mulieres gestarent. Plebi etiam laminae ferreae, vel aereae suffragabantur, nobiliorum manus aurum, vel argentum ornabat. In statua Lucillae L. Veri Imp. vxoris etiam triplicis ordinis armillae obseruatae sunt. Etiam nostra aetate luxum mulierum constituunt.

12-13) *Aliae* aereae duae, octo nodis in magnitudine auelanae angulatis complicatae.

Istas neutiquam ad ornamenta muliebria pertinuisse, figura commonstrat, sed potius ad manicas, vel compedes, quibus hodie delinquentium manus, atque pedes constringi solent. Effossae enim sunt in *Wirth* cum ipso cadauere, et manibus alligatae reperiebantur, coniunctaeque longiori catena aerea, quae tamen rubigine adeo consumta fuit, vt cum e terra exciperetur, in puluere abierit. Cura Casp. Ordódy *de Lieszko*, Comit. Comáromien. Ord. Iud. Nob. Museo procuratae sunt.

41) *Capulum*, aut potius fragmentum eburneum rubro olim colore tinctum ex gladio romano, cui aquila sedens affabre incisa est, additis literis M. T. L. Λ. LXXVII.

Capulum eburneum ad ornamentum gladii pertinuisse Ovidivs Metamorph. Lib. VII. v. 422. innuit:

– – – *in capulo gladii cognouit eburneo*
Signa sui generis. – – – – – –

Consuetum enim erat ea signis, characteribusque notare, prout in hoc quoque memoratae literae sua non carent significatione. Vtut arbitrariae sint interpretationis, mea tamen opinione (donec aliquis clariorem sensum elicuerit) explicandae sunt: *Militum. Tribunus. Legionis. Adiutricis. Septuagesimae septimae.* Quum enim pars huius capuli desideretur, etiam inscriptionem existimo esse mancam. Raritas haec an. 1820. *Sabariae* effossa, per Iac. Schelle Museo obtigit.

15) *Aliud* tres digitos altum ex calybe, floribus nitide caelatum.

Inuentum est an. 1815. infra arborem *Illokini* in vrna ex tegulis composita, in qua praeter ossa sepulti, cultrum, fibulam, numulum aereum Constantii, isthoc quoque capulum, quod cultrum ornauit, reconditum erat, omnia tamen ita consumta fuere, vt, demto hoc capulo, nihil in sua integritate excipi potuerit. Ad Museum deportatum est a Sacerdote Ord. S. Fran. e Prouin. Capistrana.

16) *Aliud* ferreum, tres digitos altum, in forma coni laeuigati, sed multa rubigine obducti.

Hoc inter rudera in *Titel* repertum, Praefectura militaris ad Museum direxit.

17) *Aliud* aereum, referens nodum clathratum, et tesselatum.

Videtur tantum pars superior esse capuli ex gladio maiore romano, quam Casp. Pajor *de Tóth Liptse* in propria vinea ad *S. Andream* supra Budam an. 1810. inuenit, et Museo cessit. Si Fl.

Digitized by Google

Iosephvm *de bello Iudaico* Lib. III. audiamus, Romani in proelio duobus vtebantur gladiis, vno scilicet longiore, altero breuiore. Vnde etiam capulum oportuit gladio proportionatum esse. In columna Traiani fuerunt duos pedes longi. Sub Constantino M. et Theodosio vix octo pollices aequabant. Inde ergo capulorum, qui reperiuntur, diuersa forma, et magnitudo. In ornamentum gemmae, aurum, argentum, ebur adhibebatur, paupertas etiam aere, ac ferro contentabatur.

18) *Atramentarium*, vasculum exiguae molis est, non impolite fabricatum, pendens ex catenula, in quo minium pro scribendo asseruabatur.

Minio literas iam a Romanis pictas fuisse, testis est Ovidivs *Trist.* Lib. I. Eleg. I. v. 7.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Idea talismodi atramentarii capienda est ex Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CVI. fig. I. Rarissimum istud vetustatis paradigma ex Transsiluania Museo subministrauit Sam. Demjén *de Szent-Kátolna.* Distinctos fuisse Scribas, qui minio, item, qui auro Codices pingebant, dictos Chrysographos, prolixe docet Mabillonivs *de re Diplomat.* Lib. I. cap. 8. Atramentarii iam Ezechiel *Cap. IX. v.* 3. meminit, inquiens: *vocauit virum, qui indutus erat lineis, et atramentarium Scriptoris habebat in lumbis eius.*

19) *Priapus* admodum parui moduli, quem olim auro tinctum fuisse, vestigia ostendunt.

Hoc summae turpitudinis schema scortis publicis adeo familiare fuit, vt catenulae appendere, et de collo portare non erubescerent. Foedissimae huius raritatis exemplaria nostram aetatem paucissima attigerunt. Hoc in agris *Szönyiensibus* inuentum est.

20) *Catena* aerea quatuor orgias longa, fibula bracteata munita, et tam solide ex paruis annulis instar funium texta, vt pondus decem, et trium librarum superet, integre conseruata est.

Traditio inter Valachos in Marmatia viguit, eam in limitibus Moldauiae cum exitu saeculi XVII. effossam esse, cui tamen vsui deseruiuerit, non liquet, nisi fortasse ad impedimenta domestica referre placeat. Ab aerugine, cuius aliquae adhuc videntur maculae, bene repurgatae, fibulam recentior aetas addidit. Praedo Pintje illa corpus decussatim praecingebat, et an. 1809. per Magistratum Prouincialem Archiduci Palatino pro Museo oblata fuit.

21) *Alia*, vnum pedem longa, concinne, et fortiter texta ex aereis filis.

Perticula est ex catena, qua armillas in *Wirth* effossas, vti num. 10. et 11. narratum est, constrictas fuisse, constat.

22 — 27) *Stili* sex diuersae formae, et magnitudinis aerei, quos praeter Graecos, et Romanos etiam alii veteres populi ad scribendum in cera, palmae foliis, corticibus, aliisque tabulis adhibuerunt. Alias etiam *graphia* nominabantur.

Omnes, quibus Museum potitur, differunt ab illis, quos Schatzivs *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CVI. fig. 2 — 13. aeri incidi curauit. Acutissimo hoc instrumento aereo multa vulnera, et neces euenerunt. Cassianum enim Martyrem stilorum vulneribus a discipulis suis confossum testificatur Prvdentivs *Hymn.* IX. v. 13.

Innumeri circum pueri, miserabile visis
Confossa paruis membra figebant stilis.

Digitized by Google

Cognito multifario abusu, stili mox ex osse confecti fuere. Museum, quos possidet, aerei sunt, ac quidem vnum ex dono Sereniss. Archiducis Iosephi Palatini, in Comitatus Albensis praedio *Vért Szent György* pone *Pogány-Vár*, effictum e virga gyrata, quam bractea orbicularis tegit: alterum e virgula recta, perinde bracteola opertum, effossum in Transsiluania, et a defuncto Comite Nationis Saxonicae Mich. L. B. a Brvckenthal oblatum: tertium affabre tornatum, breuius, an. 1816. in *Pázmánd* effossum, a Familia Kempelen *de Pázmánd* perceptum: quartum capulo instructum, ex *Znio Várallya* a Loci Parocho Ioan. Valentini: quintum acutum sine nodulo, vel lamina ex *Szent Endre* acceptum a Fran. Vörös *de Farád*: sextum ex *Németh Liptse*, procuratum ab Emer. Pongrácz *de Óvár, et Szent Miklós*, rotunda lamina vestitum. Haec, vel nodulus, in omnibus stilis esse solet, vt, quod in cera, papyro, vel cortice perperam scriptum est, deleri, corrigique possit, ac ideo Horativs *Sermon.* Lib. I. Eclog. X. v. 72. dixit:

Saepe stilum vertas, iterum, quae digna legi sint
Scripturus. - - - - - - - - - - - - -

Hinc ergo origo prouerbii: *vertere stilum.*

28) *Phalera*, ornamentum scilicet aereum, condam auratum, ex affabre terebratis tabellis, per catenulas coniunctis compositum, cum duobus pendulis tintinabulis, vni annulo affixis, caeteris probabilius sub terra absorptis.

Huius ieonismum nusquam quidem vidi, arguo nihilominus ornatum esse equilem ex tintinabulis, qualia in phaleris equorum Columna Traiana exhibet, ac quibus Romani, ac Graeci apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CXIII. fig. 1. 2. equites, quos *singulares* vocabant, sonipedes exornarunt. Accepta est a Lad. Tihanyi *de Ebeczk*, compl. Comit. T. I. Assessore.

29) *Cochlear* paruum ex cupro in sua adhuc integritate conseruatum.

Accedit proxime ad Schatzii *Antiquit: Graec. et Roman.* Tab. LIII. fig. 11. effossum fuit an. 1816. in *Pázmánd*, et a familia Kempelen *de Pázmánd* Museo cessum.

30) *Aliud*, praecedente aliquanto maius, perinde ex cupro, non informiter procusum, dimidia pars capuli fracta est.

Hoc e terra in *Sövényháza* eiectum est, et Museo ab Alexand. Nevholdt *de Sövényháza* relictum, apud Schatzivm *Antiq. Graec. et Roman.* Tab. LIII. fig. 9. eidem pene simile existit. Cochlearia in Hungaricis Prouinciis iam plura inuenta sunt, et spectata forma, communi vsui ad mensam, vel thuri, acerrae, aut thuribulo inseruiisse videntur. Pulcherrimum, quod vidi, in Transsiluania vltra vallem *Hátszeg* repertum est, sed denatus Excell. Sam. L. B. Brvckenthal, olim Gubernator Transsiluaniae illud Vindobonam ablegauit.

31 — 36) *Rutra* tria maiora, ac totidem minora, instrumenta fuere aerea, nitide fabricata, quorum medium cauo gaudet nodo, vti in malleis esse solet, per quod manubrium, seu capulus ligneus ducebatur; ex eodem nodo in vtramque partem defluit adcrassitiem vnius digiti, septem, vel quatuor pollices longus bacillus, non acutis, sed obtusis finibus munitus, neque rectus, sed flexuosus, seu incuruatus.

Horum tria maiora, nec non vnum minus ex *Znio-Várallya* Museo obtigerunt, per Oppidi Parochum Ioan. Valentini, duo autem minora ex Liptouia per Emer. Pongrácz *de Szent Miklós, et Óvár.* Typus eorum apud Montfavconivm desideratur. In Hungaria minus rara sunt, praeprimis, vbi marmora franguntur. Speciale est, quod Romanis aliqua temperatura cognita fuerit, qua eas ita indurare noue-

Digitized by Google

runt, vt ad findendos, scindendos, et poliendos lapides nunquam instrumenta ferrea, sed aenea adhibuerint. Inde est, quod nulla rutra Romana ex ferro, sed omnia ex aere inueniantur.

37) *Lucerna* aerea minoris moduli optime conseruata, pendens e catenula tenui cum operculo, ad lychnum extinguendum accommoda.

Huic similis iconismus extat in Begeri *Thes. Brandenb.* Tom. III. pag. 436. Fuerit probabilius domestica, quam Museum *Sissekii* in confiniis militaribus Croatiae inuentam, acquisiuit a Pavl. Bittroff. Probabilius pendebat ante Laris statuam. Lugduni enim an. 1505. similis Marmori, quod infra Lampades positum erat, inscriptio legebatur: *Laribus Sacrum P. F.* (publicae felicitati) *Rom.*

38) *Alia* cygnea, maioris moduli cum ansa cygnum referente, omni vitio destituta.

Ista an. 1816. in *Pázmánd* effossa, et a Familia Kempelen *de Pázmánd* Museo data, affinem typum habet in Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CXXXXIIII. fig. 5. Lucernas appellationes diuersas accipere a figuris, quas phantasia artificis eis indidit, Begervs in *Thes. Brandenb.* Tom. III. pag. 436. et seq. ostendit. Harum tria sunt genera, scilicet illae, quae in domibus, dein quae in templis ardebant, ac demum quae in sepulchris condebantur. Lucernas apud Aegyptios, Athenienses, et Romanos in pretio fuisse, confirmat *festum Lucernarum*, quo die apud Romanos non modo in templis infinitae ardebant, sed etiam ianuis, fenestris, et arboribus appendebantur. Etsi earum ingens in Museis occurrat copia, aereae tamen rariores sunt.

39—58) *Scalpra* nouem, et decem, diuersi moduli aerea, singula ansa gaudent, et inferius semet latius diffundunt, formamque acerrimae securis induunt. Haec vsibus latomorum pro perpoliendis lapidibus parata fuisse, ex figura cognosci potest. Per ansulam probabilius zona ducta fuerit, brachio operarii adstricta, cauitas autem instrumenti interna solidum stilum ligneum receperit, quod manu tractandum erat. Ab hac forma recedunt duo duntaxat exemplaria, quorum neutrum cauum est. Vnum enim ansulam in supremitate gerit, et alterum ostendit vncum lunulae affinem. Omnium figuras Schatzivs in *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CIIII. fig. 16. 17. et 18. accuratissime exprimit.

Ista schemata ex diuersis locis Hungariae influxerunt, maxima parte congregata sunt in montanis Ciuitatibus, ex *Znio-Várallya*, *S. Andrea*, *ex Németh Liptse*, *ex Nyustya*, *et Magyar Hegyenegh*, *offerentibus* C. Leop. Andrásy *de Csik Szent Király*, *et Krasznahorka*, Consiliariis Georg. Tokody *de Szent András*, Ios. Stöszel *de Rápp én*, Emer. Pongràcz *de Szent Miklós*, *et Övár*. Assessoribus Fra. Vörös *de Farád*, Petr. Kvbinyi *de Felsö Kubin*, Casp. Pajor *de Töth Liptse*, Parocho Ioan. Valentini, Com. Carolo Majláth etc.

59—62) *Caestra* quatuor aerea in altitudine quinque digitorum, et crassitie vnius pollicis, ad perforanda marmora, et quosuis alios lapides.

Begervs *Thes. Brandenb.* Tom. III. pag. 418 *Celtes* nominat, Hungari *Vájó Vas*, Germani *Grab Meissel.* Horum duo Ant. Pintér, vnum Ios. Grillee, vnum item Alexand. Németh *de Nyék*, Museo nationali procurarunt.

63—64) *Candelabra* duo parua, ex lamina alba, tripedali forma nitide fabricata, ad vsum Sacrificiorum.

Digitized by Google

Candelabrorum tum in veteri, tum in noua Ecclesia, et cumprimis tripedalium, semper vsum factum fuisse, pluribus commonstrare supernacaneum esset; nouisse sufficit, ad cultum idolorum suorum saepenumero Romanos ex pretiosissimo metallo fabricata adhibuisse, prouti apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LVI. fig. 25. 26. et 27. ostendunt.

65 — 66) *Bases* duae aereae, quibus Lares, in priuatis aedibus cultui domesticorum expositi, insistebant.

Conformes sunt basi, cuius typum SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. XXIX. fig. 9. proponit.

67) *Tripos* sacrificalis, siue foculus aeneus, in quo oleum fundebatur, ignisque in priuatorum aedibus Diis domesticis diligenter alebatur.

Ideam Tripodis praebet SCHATZIVS *Antiq. Graec. et Roman.* Tab. LII. fig. 2. Tripodes magnam cum aris cognationem habent, quum in his ita, vti in aris nonnunquam Sacra fieri solebant. Nomen Tripodis mensulam accepisse a tribus pedibus suapte intelligitur. In monumentis Graecorum, et Romanorum frequenter occurrunt. Ex tripode oraculum Delphicum sententias pronunciauit.

68) *Rudicula* aerea, qua res molliores, vti thus, colores, aut alias minutias conterere solebant.

Sex ista schemata a num. 63 — 68. effossa fuerunt an. 1816. in possessione *Pázmánd*, minusque obuia, a Familia KEMPELEN *de Pázmánd* ad Museum translata sunt.

69 — 80) *Asciae* aereae duodecim, diuersae quidem magnitudinis, attamen eius dem fere formae.

Typum earum SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CIII. fig. 14. et 15. dedit, sed earundem vsum definire arduum est. Fuisse instrumenta Lapicidarum inde coniicere pronum est, quod in illis quoque locis, vbi Scalpra reperta esse num. 39 — 58. dictum est, inuenta sint, et ab illis etiam, quorum nomina ibidem recensuimus, Museo oblata. Forma earum adeo specialis est, vt malim opinionem meam cum maximi nominis Antiquariis potius subticere, quam hallucinari.

81) *Clathrum* octogonum, ex aere polite confectum, sed perinde admodum dubii vsus.

BEGERVS *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 433. se in eo grandiorem fibulam inuenisse putat. Equidem malim pro operculo alicuius Instrumenti tenere. Inuentum in *Föveny* FRAN. VÖRÖS *de Farád* Museo dedit.

82) *Vertex* aereus, cuius fila ex vno puncto in octo gyros, vno, altero maiores, cum vi elastica circumcinguntur, incerti vsus.

Nonnulli existimant esse Stilum, quum illius plane formam ostendat, quem SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CVI. fig. 13. produxit. Sed enim vti multa in Museis ostendi certum est, quae pro stilis, vel fibulis falso declarantur, ita de hoc quoque vertice, perquam eleganti, et prorsus incorrupto, sentiendum est. Quis enim sibi persuadere patiatur, instrumentum, quod ex crassis filis contextum, duas pene libras ponderat, stilo, vel fibulae aptum fuisse. Pertinuisse itaque ad alium nobis ignotum vsum,

Digitized by Google

maxime credibile est. Inuentum in Comitatu Vgochensi L. B. Ioan. Barkóczy *de Szala* S. C. et R. A. M. Camerarius Museo custodiendum tradidit.

83) *Alius* minor, et ex tenuioribus filis, ab vno puncto ductis, et in orbem conuolutis, in collem rotundum assurgit, ac in vno fine lamina aerea ansam supplet.

Forma adperte indicat, quod duntaxat pro operculo alicuius lampadis, vel alterius instrumenti haberi debeat. In *Nagy Szöny* effossum Ios. Bély Museo cessit.

84) *Alius*, paululum minor, priori (si laminam demas) prorsus similis.

Repertum in *Füveny* Fran. Vörös *de Farád* Museo resignauit.

85) *Elater* ex ductili aereo filo, nitide tornato, confectus, qui vi elastica in conum assurgit.

Effossum in Comitatus Gömöriensis possessione *Guszornák* an. 1821. Museo obtulit Petrvs Kvbinyi *de Felsö Kubin.*

86-87) *Alius* in duobus exemplaribus, eiusdem formae, et magnitudinis.

Vtroque, in Transsiluania ad *Schessburgum* inuento, denatus L. B. Mich. a Brvckenthal Archiduci Iosepho Palatino pro Museo gratificatus est. Elateres hos indubie adplicitos fuisse ante saecula instrumentis ligneis, quibus sub terra computrefactis, duo haec schemata remansisse, opinandum est.

88-90) *Secula*, in tribus exemplaribus, forma adunca curuescens, ad demetendas fruges, gramina, etc. quae tamen vetustas in fragmenta nimiopere vitiata conuertit.

Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CVI. fig. 20. iconismum quidem profert, verum non ex ipso schemate, sed tantum ex columna Traiana transumtum. Vnde seculas has rarioribus antiquitatis reliquiis adnumerandas, nemo non videt. Inuentis in *Németh Liptse* Museum Emer. Pongrácz *de Szent Miklós, et Óvár* ditauit.

91-94) *Cultri* aerei, aut rectius quatuor cultrorum fragmenta, quae diuersis formis semet adeo distinguunt, vt eorumdem (sub terra vehementer consumtis) vsus determinari nequeat.

Omnia haec fragmenta *Sissekini* collecta Museum a Pavl. Bittroff habet. Aliqua eorum formari potest ex Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LVI. fig. 10. et 12. idea. Haec quoque fragmenta confirmant, Romanos non modo arma, sed etiam cultros, et omnia vasa, atque instrumenta architectonica ex aere praeparasse, tametsi ferrum penitus neglectum fuisse, non putem.

95) *Praepilatum* (la ferrure, l' embatage) aureum, repraesentans senem barbatum, nudo corpore, extensis manibus, vtrinque vnco munitis, quo scrinio affigebatur, in aduersa parte cauum.

96) *Aliud*, perinde scrinio accommoda lamina aerea, bene conseruata, referens senilia duo capita.

Digitized by Google

97) *Aliud*, vasculum exiguae molis exhibens, lamellaque in medio perforata est, probabilius, vt clauulo firmari potuerit ad scriniolum, vel aliquam cistulam, ornamenti caussa.

98) *Aliud* in forma exigui trianguli, affabre tesselati, ad eundem vsum.

99) *Pila* aerea, in sua integritate, ex qua porta pendebat.

100) *Ansa* solidior aerea, ex aliqua sera, nitide parata.

101) *Alia*, etiam aerea, bene conseruata, sed alterius formae.

Haec omnia a num. 95 — 101. praerecensita schemata effossa sunt *Sabariae*, dum Cathedrale templum aedificaretur, et a Marco Szentiványi *de Eadem* Museo abdicata.

102) *Tubulus* tenuis aereae lamellae, in crassitie vnius digiti, et longitudine quatuor pollicum, cuius vsus ignoratur.

Effossus est in *Föveny*.

103) *Alius*, bene conseruatus, etiam ex aerea lamella, ad formam sugibuli affabre politi, in longitudine quatuor digitorum.

In eodem loco inuentus est. Vtrumque exemplar Fran. Vörös *de Farád* ad Museum transmisit.

104) *Alius* orbicularis in crassitie quatuor digitorum, cuius cauitas interna nitidissime polita est instar sclopi, externe vero eleganter striatus, in longitudine vltra sex pollices non producitur. Adparet ex vestigiis, esse duntaxat fragmentum longioris instrumenti, ex aquae ductu, vel ad vsum oeconomicum, vel Sacrificiis accommodum.

Etsi vsum illius determinare non valeamus, aestimanda tamen raritas est in *Znio-Várallya* inuenta, qua Ioan. Valentini Museum locupletauit.

105) *Cochleola*, apice latiore tecta (vti in clauis esse solet), aerea.

106) *Scalpium*, olim inauratum, referens vna parte auriscalpium, altera dentiscalpium.

107) *Hamulus* piscatorius exiguae fabricae, pro capiendis piscibus, ex aere.

108) *Nodulus* aereus, stilo trium digitorum, admodum delicato, munitus, probabiliter ad labores muliebres.

109) *Alius* etiam ex aere, ansatus, vsus incogniti.

Digitized by Google

110) *Alius*, apice duplici contectus, putatur pro fibula adhibitus fuisse.

111-116) *Clauuli* aerei, olim inaurati, rotundis apicibus tecti, formae admodum exiguae. Indubie pertinuerint ad alicuius instrumenti ornamentum.

Duodecim has a num. 105—116. antiquitatis romanae minutissimas reliquias PAVL. BITTROFF ex Sarcophagis, et Vrnis *Sissekii* pro Mușeo nationali congregauit.

117-121) *Manubria* quinque maiora, et tria minora ex aere, diuersae quidem formae, sed admodum polite tornata, quae aliquando vasis aquinariis, alteriusque generis, portandis lebetibus affixa fuere.

Forma eorum tam est elegans, vt nec nostra aetate a peritissimis fabris aliquid nitidius postulari queat. Ab elegantia arguendum est, ipsa quoque vasa, et lebetes nitidissime confecta fuisse, et probabilius in Sacrificiis adhibita esse. Manubriorum exemplaria SCHATZIVS *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LIV. fig. 10. 11. et 12. aliqua publici iuris fecit. Horum tria percepta sunt ex *Znio Várallya* a IOAN. VALENTINI, totidem ex *Németh Liptse* ab EMER. PONGRÀCZ *de Szent Miklós et Óvár*, duo ex *Pentele* a FRAN. VÖRÖS *de Farád.*

122—123) *Lamellae* duae tenues ex aere, quatuor digitos longae, quibus probabilius bacilli ad certum vsum cuneati fuere.

Sereniss. Archidux Palatinus pro Museo ex *Vért Szent György* percepit.

124) *Clauis* romana ex aere, labore reticulato affabre tornata, etiamnum in sua integritate.

Eius forma extat apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXI. fig. 2. Inuentam in *Föveny* FRAN. VÖRÖS *de Farád* ad Museum transposuit.

125) *Alia* minor, etiam aerea, ad formam ocreae nitide efficta.

Effossam in *Vadkert* pone Colociam Parochus Fajtsensis ALEX. BORBÉLY Museo dedit. Typus illius habetur apud SCHATZIVM *cit. Oper. et Tab.* fig. 3.

126) *Alia* perinde ex aere, parua, et bene conseruata.

Est plene affinis typo apud SCHATZIVM *cit. Oper. et Tab.* fig. 9.

127) *Alia* aerea, eiusdem cum priori magnitudinis, ac formae, si annulum paululum maiorem excipias.

Proponitur apud SCHATZIVM *cit. Oper. et Tab.* fig. 10. Vtraque in *Nagy Szöny* effossa est, et a Ios. BÉLY Museo cessa.

128) *Alia*, aeque aerea, instar ocreae, inferius denticulata.

Illius forma exhibetur apud SCHATZIVM *cit. Oper. et Tab.* fig. 4. Museum in Sissek inuentam a PAVL. BITTROFF percepit.

Digitized by Google

129) *Alia* ferrea, rubigine vehementer obducta.

Forma illius eadem est, quam praecedens aerea ostendit; inuentam *Sabariae* Museo Iac. Schelle largitus est.

130) *Alia* etiam ex ferro, et rubigine paulisper vitiata, priore maior.

Inuentam in *Sirmio* Canonicus Diacovár. Gabriel Iankovich Museo dedit. Accedit ad Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXI. fig. 3. Claues istae plerumque ex arcis, et scriniolis supersunt. Ingens earum in opulentioribus Museis numerus videndum se offert, quae fere omnes aeneae sunt; ex earum forma, et dentibus ipsa serarum (quarum paucissimae existunt) forma interior colligi potest. Nonnulli claues, annulis instructas, existimant etiam pro obsignando adhibitas esse, quod tamen minus verosimile videtur. Ferreis, qui rariores sunt, maius tribuitur pretium.

131) *Fibula* Romana ex argento, connectendis vestibus accommoda, cuius aculeo virorum brachia tecta fuisse, affirmat Svetonivs in *C. Iul. Caes. Cap.* 82.

In Hungaria fibulae plures olim inuentae sunt, quas imperitia hominum colliquefecit, et aliis vsibus argentum accommodauit. Equitibus etiam aureas fibulas fuisse, confirmat Stativs *Silu.* Lib. IX. *nimio iuuat aureo morsu fibula.* Hanc Museum vno aureo ab aurifabro redemit. Eius formam dedit Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXVII. fig. 8.

132 — 133) *Alia* annularis, in duobus exemplaribus, cum acu pendula, sine vllo vitio, ex aere.

Huius quoque forma exhibetur a Schatzio *Oper. et Tab. cit.* fig. 12. Vna earum inuenta est in *Föveny*, et ab Ant. Hvszár Museo oblata, altera in *Nagy Szöny* a Ios. Bély.

134) *Alia* quadrangularis cum duorum digitorum longo stilo, qui fortasse pallio insuebatur; forma simplex est, et prorsus non abludit a nostris, quibus hodie phalerae equiles constringuntur.

Ex collectione Fran. Vörös *de Farád* Museo resignata. Typus videndus est in Schatzii *Oper. et Tab. cit.* fig. 13.

135 — 136) *Alia* aerea, in duobus exemplaribus, ad formam arcus figurata, ex cuius posteriori ora aculeus prosilit.

Vide iconismum in Schatzii *Op. et Tab. cit.* fig. 6. quarum vna Vetero Budae inuenta, ab Ant. Pintér, altera in Bosnia ab Avg. Milletich Museo obuenit.

137 — 147) *Aliae*, aequalis formae, in vno, et decem aereis exemplaribus, e quarum arcu protenditur acus antrorsum, incumbens stilo, vtrinque nodato, pleraeque tamen aculeo carent.

Vna earum auro illinita, ex sarcophago *Bitskensi Act. Lit. Mus. Nat. Hung.* Tom. I. num. 20. pag. 233. indicato, excepta est, duae ex Promontorio *Csepeliensi* a Mich. Meszetich, duae ex *Nagy Szöny* a Ios. Bély, vna bene conseruata a Mich. L. B. a Brvckenthal ex *Transsiluania*, vna *Weszprimio* a Möy. Oesterreicher Med. D. vna ex *Péter Csákvár* a C. Nic. Eszterházy *de Galántha*, vna item *Sabaria* a Iac. Schelle, duae *Comáromio* a Sigis. Ivanics Bibliopola Pestiensi ad Museum pertigerunt.

Digitized by Google

148 — 154) *Aliae*, etiam aereae, in septem eiusdem formae exemplaribus, nitide elaboratae, arcu gyrato praeditae, e cuius extremitate aculeus ducitur.

Vna in sua plena integritate percepta est ex *Transsiluania* a Mich. L. B. a Brvckenthal, duae sine aculeo ex Comitatu Simeghiensi ab Ant. Tallián *de Vizek*, vna ex *Káránsebes* ab Ant. Kiss *de Ittebe*, et vna ex *Sirmio* ab Ant. Mandich. In Schatzii *Antiq. Graec. et Roman.* Tab. LXXXVII. fig. 7. exhibentur, quae num. 137 — 147. recensita sunt, et fig. 3. quae num. 148 — 154. memorantur.

155 — 157) *Aliae* tres eiusdem formae, arcu eminent minus flexuoso, attamen nitide tornato; ex hoc ducitur filum aeneum, quod aculeum constituit.

Tribus his fibulis collectionem antiquariam Musei, *Sissekini* inuentis, Pavl. Bittroff amplificauit. Typum earum adaequate expressit Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXVII. fig. 1. Fibularum in Museis ex omni metallo copia est. Begervs in *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 429. vsque 434. diuersissimarum formarum schemata aeri incidi curauit. Erant luxus ornamenta tum apud viros: tum apud foeminas ad tunicas, chlamydes, lacernas, et penulas, modo dextro, modo sinistro humero annectendas; mulieres ante pectus vestibus illas infigebant. Inde Ovidivs *Metamorph.* Lib. II, v. 412. dixit:

— — — — — — — — — — *fibula vestem*,
Vitta coercuerat neglectos alba capillos.

Istae enim non neglexerunt fibulas suas etiam gemmis exornare, aut eas forma lapidis lazuli induere. In Museis Italiae aliquae huius generis praesto sunt sub figura iconis, auis, vel piscis. Nemo autem, velim, se ad credendum induci patiatur, fibulas etiam vices stilorum suppleuisse. Opinionem hanc, detecta genuina stilorum forma, iam dudum explosam, docet Montfavconivs.

§. VIII.

Fabricata vitrea.

1) *Lagena* vnum pedem alta, rotunda, breui collo instructa, ansata, et caelata, duos sextarios recipiens.

Haec reperta est an. 1798. in sarcophago Vetero Budae, hermetice clausa, et limpidissima aqua repleta; posteaquam vero adperta fuit, pedetentim euaporauit. Anton Mayerhoffer olim Rationum Consultor ad Excel. Cam. Reg. Hung. Aulicam, condito Museo nationali, hancce antiquitatem in eo deponere ratus est. Antiquarii consuetudinem mortuis ad sarcophagos ampullam cum aqua locandi passim interpretantur ex formula precandi, qua optabant, vt Dii iis aquam frigidam darent, credentes, animas mortuorum admodum sitire, vel vero, vt in flammis vltricibus aestuantes, ea recrearentur.

2) *Alia*, priore quinque digitis altior, vnius mediae hungaricae capax, insistens orbiculari basi, in inferiore parte vmbilicalis, in superiore ad angustum, cum lata pone orificium margine, conum assurgit, ex quo latior ansa caelata vsque vmbilicum descendit.

Digitized by Google

Forma huius lagenae proxime accedit ad typum ampullae etruscae, quae a Gorio *Antiquit. Etrusc.* Tab. XL. fig. 4. exhibetur. Haec per saecula latuit, et an. 1814. extra oppidum *Bitske* in sarcophago Vlpiae Antonillae, *Actor. Mus. Nat. Hung.* Tom. I. pag. 233. descripto, reperta, ab Ant. e Comitib. Batthyán Perp. in *Németh Vjvár* S. C. et R. A. M. a Cubilibus, ad Museum simul cum sarcophago deportata est. Dum me, et pluribus aliis praesentibus, exciperetur, et aperiretur, vidimus eam limpidissima aqua plenam, subere fortiter clausam, cera firmissime obstructam, ac insuper corio adeo constrictam, vt cum difficultate dissolui potuerit. Obseruauimus praeterea aquam omni sedimento, fecibusque vacuam, ac nullo prorsus ingrato odore praeditam. Hac experientia conuictus sum, non omne, quod ipsi non vidimus, aut ipsi non fecimus, illico pro fabula declarandum esse. Museo adhuc illo anno, die quippe 26. Octobr. honor euenit, hanc ipsam Lagenam Augustissimis Hospitibus Francisco Austriae, Alexandro Russiae Imperatoribus, Wilhelmo Borussiae Regi, experientiae faciendae caussa praesentandi. Sed ab eo tempore adeo iam euaporauit (tametsi subere clausa sit, rariusque explicetur) vt de aqua valde parum supersit.

3) *Lacrimatorium* vitrum, ad quod in funere mercede conductae praeficae, plorandi sine moeroris sensu peritissimae, guttas mittebant: Huius generis vitra formam coni angusti ostendunt, superius cum latiore rotundo orificio, et inferius cum eiusdem figurae basi ampliore.

Effossum in *Föveny* Museo nuncupauit Fran. Vörös *de Farád.* Eius iconismus in Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CXXXVIII. fig. 8. accuratissime exhibetur.

4) *Aliud*, priori simillimum, duntaxat, quod digito minus sit.

5) *Aliud* prioribus etiam affine, attamen minimum.

Vtrumque in *Sissek* ex sarcophagis pro Museo congregauit Pavl. Bittroff. Ad haec vitra intelligenda notari meretur, quod istorum origo repetenda sit a sepeliendi ritu. Nam praeter atram vestem, quam cognati in funere vsurpabant, mulieres mercede conductae fuerunt, quas cantui, et ploratui praefecerunt, eaque de caussa *praeficas* dixerunt. Istae artem nouerant, sine vllo sensu, et de industria, quotiescunque placuit, amarissime flendi.

Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter,
Quoque volunt, plorare, tempore, quoque modo.

Ovid. *Art. Amator.* Lib. III.

Guttae, quae oculis exciderunt, in phialas missae sunt, e quibus in vitra lacrimatoria fundebantur, cum sepultis in tumbas repositae, addita ante discessum a loco sepulchri valedictionis formula, *vale, vale, vale, nos te ordine, quem natura permiserit, sequemur.*

6) *Vasculum* rotundum, paruae vtricularis formae, parte aliqua etiam vitiatum. Vitrum tam subtile est, vt chartam imitari videatur.

Inuentum in *Föveny* Fran. Vörös *de Farád* Museo intulit. Formam imitatur typi apud Schatz. *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXII. fig. 21. Vsus illius incertus est, nisi fortasse ad recipienda embemmata adhibitum fuisse putes, tametsi me non fugiat opinio, etiam congregandis guttis praeficarum adplicari potuisse.

7) *Phiala*, vel patella rotunda, magis plana quam profunda, in magnitudine hodiernae patellae porcellanae.

Figura illius exprimitur apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXIV.

Digitized by Google

fig. 18. Huius generis patellis hodie variis vsibus idoneas esse, sufficienter constat. Vnde spectata forma coniicio, Romanis quoque, modo ad hoc, modo ad illud deseruiuisse. MONTFAVCONIVS inter pocula refert.

8) *Laguncula* vtricularis, exiguae formae, in conulum rotundum assurgens, ex vitro caeruleo.

9) *Alia*, ad vnguem similis, ex flauo vitro.

10) *Alia*, eiusdem formae, et magnitudinis, ex albo vitro.

Forma istarum reperitur apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CXXXVIII. fig. 19. Omnes tres ex vrnis sepulchralibus *Sissekii* pro Museo collegit PAVL. BITTROFF. Lagunculas istas aromatibus, et pretiosis vnguentis repletas fuisse, vestigia, in nonnullis obseruata, monent. Opulentioribus enim satis non erat, lacrimas Cognatorum, praeficarumque tumulo intulisse, sed etiam aromata, et vnguenta miscebant, quod lagunculae, in Museis superstites, abunde confirmant.

11) *Sugorium*, laguncula rotunda vtricularis ex vitro flauo, cum angusto cono, et in vtre instructa epistomiolo, pro infantibus ad sugendum lac, aquam, vel alium liquorem.

PAVL. BITTROFF isthoc vasculum *Sissekii* ex vrna infantis excepit, quo forte Parentes indicare volebant, in hac vrna infantem reclusum esse, qui sub lactationis tempore obiit.

12) *Vas* vitreum, mediocris formae, quadrato vmbilico praeditum, in breuem conum assurgens cum latiore orificio, ex quo ansa caelata defluens, vmbilico cingitur.

Forma intelligi potest ex SCHATZII *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXIV. fig. 3. Indubie praeparatum ad seruandos, et effundendos varios liquores.

13) *Aliud* eiusdem formae, et vsus, duntaxat praecedente minus.

Vtrumque in Confiniis militaribus Croatiae, non tamen in vno, eodemque loco, repertum est, sed *Sissekii* diutius a PAVL. BITTROFF. asseruata fuere, donec occasionem nancisceretur, collectionem antiquariam Musei nationalis iisdem adaugendi.

14) *Amula*, exiguum vasculum rotundae formae, cum sat lato orificio, in quo Veteres aquam asseruabant, et firmiter obstructam, semper secum ferebant.

Dicitur etiam *Amola* ab amolliendo. Veteres Aegyptios, Etruscos, Graecos, et Romanos superstitio tenebat, quod, si hanc amolam, aqua repletam, secum gestauerint, nulli periculo obnoxii esse queant. Erant itaque idem, quod alias *amuletum* dixere, aut, quod a Turcis hodie creditur annulus *Talisman* praestare. Inuentam in *Nagy Szöny* Ios. BÉLY Museo administrauit. Caeterum typos Vasorum vitreorum plurimos vulgauit BEGERVS in *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 464.

Digitized by Google

§. IX.

Opera testacea, et fictilia.

1) *Signifer* romanus frusto caementi ex arena, et calce compacti, Vexillum manu sustinens, anaglyptice impressus.

An figura haec casu, vel arte efficta sit? dubium mouet. Forte tantum proplasma est. Inuentam esse in vineis *Szent Endreensibus* perhibet Ios. Griller, a quo Museum accepit. Concordat cum iconismo, qui in Ivsti Lipsii *Oper. Tom. IV. de Milit. Roman. Lib. IV. Dialog. VI.* extat. Notandum est, inter Signiferos fuisse alios aquiliferos, alios vexilliferos. *Vexillum* erat equitatus signum, alias etiam *siparum vexillatum* appellabatur. A tempore Constantini M. *labarum* dicebatur, illudque aeuo Christianorum Imperatorum monogrammate Christi cum cruce signatum fuit. Figura itaque huius Signiferi tempora Imperatorum Christianorum antecedit, dum adhuc Romani Vexillum, quod ex pretiosa materia, vel panno quadrato, vnum pedem longo, constabat, in apice hastae, formam literae T. habentis, affixerunt.

2 — 3) *Volua*, quam foeminae fusulo applicare consueuerunt, ad fila ducenda, formae orbicularis est, et in medio perforata, vt fusulus imponi potuerit.

Raritatis huius in *Nagy Szőny* an. 1798. magna copia reperta fuit, sed pleraque confracta, quae autem integra manserunt, quaquaueršum dispersa sunt. Museo vnum exemplar ex argilla per Ios. Bély obtigit, alterum, ex petra politum, Archidux Iosephvs Palatinus ex *Vért Szent György*, in terreno *Poganyvár* inuentum, pro Museo percepit.

4) *Parietina* romana (*römische Wandspalier*) duntaxat fragmentum paruum est, attamen visu, et examine dignum, ex badio marmore, eleganter polito, quod caemento, contusis tegulis mixto, superpositum est, ad exornandos Palatiorum parietes loco tapetum.

Hoc fragmentum ex demolitis in *Daruvár* per Colonos ruderibus adhuc superest. Peruenerunt olim aliquot frusta ad manus Ios. Iakosich, demortui Capistranorum Prouincialis, Antiquarii peritissimi, qui vnam Romam, alterum Florentiam, tertium Neapolim misit, quartum paulo ante obitum amico suo Fran. Vörös *de Furád* reliquit. Iste eadem raritate nuper Museum locupletauit. Hoc monumentum tanto maiorem attentionem meretur, quanto luculentius praebet testimonium, Romanos non minus in Pannonia, quam in Italia, ponendis splendidis aedificiis dedisse operam, e quibus barbaries superiorum temporum nihil nobis integrum reliquerat.

5) *Tubus* in altitudine quatuor digitorum, eleganter politus, ex marmore carario, incerti vsus.

Formam refert adaequatissime tubi specularis. Si probabiliter coniectare licet, videtur frustum esse ex aliquo gladio elegantioris capuli, cuius aurea, vel argentea ornamenta desiderantur. Effossum Sabariae Iac. Schelle Museo transmisit.

6) *Stratum* cubiculare, duntaxat fragmentum est, quod opere mussiuo ex paruis tesselis candidi marmoris, affabre politis, arctissime coagmentatum est.

Digitized by Google

Huius generis stratis a Romanis fana Deorum, et splendidiorum aedium pauimenta exposita fuisse, confirmat VITRVVIVS. Isthoc frustum, ad radicem montis *Mehadiae*, quam Romani Ciuitatem *ad Aquas* dixere, iam ante saeculum effossum fuit. Ex traditione constat, fuisse tantae magnitudinis, vt spatium aliquot orgiarum occuparet, sed pedetentim, cumprimis per exteros illorsum commeantes, Italos, Anglos, et Gallos integras tabulas ex hoc pauimento ablatas esse, incolae a Parentibus acceperunt. Museum hanc particulam ex generositate FRAN. VÖRÖS *de Farád* possidet.

Aliud aeque fragmentum strati compositi ex caemento, et contusis tegulis, cui firmissime inglutinati sunt politi quadriformes silices.

Istud singulare frustum est ex via infra *Orsovam*, quae ducit ad pontem Traiani, cuius adhuc rudera supersunt, vti etiam vestigia viae, quam Imperator Dacos debellaturus sterni, et lapidibus exponi curauit, vti haec vberius explicantur a MANNERTO in *Rebus Traiani Imp. ad Danubium gestis.* 8. *Norimb.* 1793. Hoc strati fragmentum ad Museum misit SIMEON IAKABFY, nunc ad Exc. Consil. Reg. Locumten. Hung. Consiliarius.

8 — 10) *Tegulae* tres paruae, admodum solidae, formam numeri octo ostendentes, duas ad sternenda pauimenta adhibitas esse, inde adparet, quod se componi patiantur, et decorum stratum praebeant.

Vna earum *Mehadiae* inuenta est, et a defuncto VINCENT. BYDESKVTY *de Ipp'*, Comitat. Temesien. Ord. V. Comite, et S. C. R. A. M. Consiliario Museo missa. duae vero ex ruderibus aquaeductus romani Vetero Budensis, a Sereniss. Archiduce IOSEPHO, Regni Palatino, datae sunt. Probabilius has in publicis aedibus applicitas esse ornamenti caussa, diuinare prouum est ex labore, quem earumdem compositio postulabat.

11) *Tegula* formae orbicularis in diametro vnum pedem geometricum metiens sine vlla inscriptione, aut signo.

Hanc Museum procurauit ex mola supra Pestinum, dicta *Teufels Mühl*, ad ripam Danubii, e regione Vetero Budae, vbi an. 1812. grandem quadriformem tegulam, *Vincentiae* nomine signatam, in *Act. Literar. Mus. Nat. Hung.* Tom. I. pag. 227. inuentam narrauimus. Ibi alicuius munimenti Romani vestigia etiamnum prostant, tametsi ea pratum contegat. Confirmat opinionem nostram FVNCKIVS in *Real Schul Lexico* Tom. I. pag. 9. inquiens: „ Acinc m, Acincus, Aquincum (Alt Ofen) eine beträchtliche Stadt in „ Pannonien, eine römische Colonie. Ohne Zweifel ging hier eine Brücke über die Donau, denn auch „ an jenseitigen Ufer lagen römische Castelle Contra-Aquinco, trans in barbarico; und auch Crumerum „ das nördlichste. Huius quoque tegulae forma indicat, illic aliquod aedificium extitisse, quod pauimento gaudebat, rotundis tegulis exposito.

12 — 13) *Furni*, seu tubi lati quadriformes, in altitudine vnius et dimidii pedis, duobus, aut etiam tribus foraminibus pro emittendo vapore instructi, ex caemento, ac tegulis complicati, caminum repraesentantes, in latitudine medium pedem non excedunt.

Vnum Ios. BÉLY ex *Szöny* misit, alterum ALEXAND. NÉMETH *de Nyék* dedit ex Caldario Romano, cuius rudera etiamnum Vetero Budae videri possunt. SCHÖNVISNERVS *Libro singulari de ruderib. Laconici, Caldariique Rom* etc. Tab. I. fig. 4. formam talismodi furni accuratissime depinxit. Indicantur camini, et fornaces, in quibus ignis ad calefaciendas concamerationes superiores alebatur, indicatur, inquam, quid balnea, et thermas intersit. Illa enim duntaxat lotioni destinata fuerunt, haec praeter balnea etiam spatiosa ambulacra, triclinia, et his similia continebant.

14) *Larua* ex argilla cinerei coloris, in magnitudine vnius cruciferi, caput hiante ore referens, omnis vitii expers.

Digitized by Google

Optime conseruata, inter rariores antiquitatis reliquias referenda ob materiam fragilem. Informes huiusmodi vultus, mimi et histriones in cera, vel argilla procuderunt, antequam se in scenis sub tali larua coram spectatoribus sisterent. Apud SCHATZIVM *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXVIIII. a fig. 12. — 20. plures producuntur. Haec an. 1820. *Sabariae* in aliqua vrna reperta fuit, et a IAC. SCHELLE ad Museum translocata.

15 — 17) *Theculae lucernales* ex argilla rubescente, quibus Lucernae minores includebantur, ne in iis ardentem lychnum aer extinquere possit. Duae ita cohaerent, vt simul coniunctae vnum frustum constituisse animaduertantur, hoc scilicet receptaculi, altero operculi vices subeunte. Tertium schema solitarium est, et partem alteram desiderat. Singula bene conseruata est, ac in vna, quum effoderetur, lucerna iacuit.

Tria haec paradigmata merito inter rariores antiquitates referuntur. Fateri debeo, mihi nunquam similes esse visas, et neque puto, multas in aliis Museis offendi. Veteres enim existimarunt, ardentem lychnum, thecae reclusum, si aer penetrare non possit, fore sempiternum. Inde fortassis opinio de *lampade perpetua* apud vulgus inualuit; immo narrabantur olim fabulae, quod ignem ardentem in tumbis viderint, qui subito extinctus est, dum adperirentur, quum tamen omnes lucernae, hactenus repertae, materia, quae flammam fouere possit, caruerint. Quidquid nugarum de his commentum sit, non moramur, nouisse sat sit, has theculas neutiquam obuias esse. Sunt effossae *Essekini*, vbi olim Murciam Romanorum extitisse, neminem fugit, et a IOAN. SZALLOPEK, Aul. Reg. Familiari, S. C. R. A. M. Consiliario, et Comitat. Verőczen. Ord. Vice Comite Museo sacratae.

18) *Lucerna* ex argilla rubra, literis MIL. signata in dorso, secus forma lucernarum communi praedita.

Haec est, quae memoratae theculae inclusa fuit. Literas, nullis punctulis interiectis, pro vna voce interpretor, videlicet MILES, qui vel eam fecit, vel vrnae inclusus fuit.

19) *Alia* ex simili argilla, eiusdem formae, et in parte postica signata literis INARI.

Literae integrae sunt, sed quid seu coniunctae, seu separatae significent, equidem non assequor.

20 — 21) *Aliae* duae paruae, nitide ex rubrae speciei argilla effictae, et in dorso sagitta signatae, sibi similes.

Vti tres theculas superius num 15. 16. 17. indicatas, ita quatuor lucernas quoque num. 18. 19. 20. 21. insinuatas, Essekini in vno, eodemque loco repertas, Museum an. 1822. a IOAN. SZALLOPEK percepit.

22) *Alia* ex argilla rubra, parui moduli, vtriculata potius, quam rotunda, iuuenili capite humano notata, et ansula praedita.

23) *Alia* argillacea, minoris formae, encausto albo caelata, ansata, et pone foramen medium, cui oleum infundebatur, bubonis figura signata, literae in tergo, vehementer attritae, cognosci nequeunt.

Digitized by Google

24) *Alia* orbicularis ex argilla flaua cum ansula, nullis figuris, vel literis distincta.

Tres a num. 22 — 24. in sua integritate conseruatae, an. 1820. *Sabariae* effossae sunt et a Iac. Schelle Museo dicatae.

25) *Alia* communis, paruae formae, ex argilla rubra, inscriptis in dorso literis SCA.

Forte non incongrue legitur SCARABANTIA coloniae Romanae olim in Pannonia locus. Museo obtigit ab Ant. Mandich.

26) *Alia* orbicularis ex rubra argilla, longiori collo imbuta, in dorso referens inscriptionem: LEG. I. D. L.

E terra erutam in *Körtvélyes* Museum a Ios. Iankovics *de Ieszenicze*, Comitat. Albensis altero Procomite obtinuit, cum literarum interpretatione: *Legio Prima Dedit Locum.*

27) *Alia* sacrificalis rotunda ex argilla rubra, collo triangulari instructa, in cuius medio assurgit tripos ardens inter duos lauri ramos.

Affabre impressus iconismus adperte loquitur, lucernam hanc fuisse ex iis, quibus in templis, vel aedibus sacrificatum est, vel quae in nuptiis adhibebantur. Museo oblata fuit a Leop. e Comitibus Andrássy *de Csik Szent Király, et Krasznahorka.*

28) *Alia* parua ex argilla rubra, collo longiore induta, additis in aduersa parte literis: FAOR.

Repertae *Sissekii* in vrna, Pavl. Bittroff in Museo locum assignauit. Quum sepulchralis sit, literas (si Diis placet) non nemo interpretatus est: *Fautore Orbati.*

29) *Alia* gryphea, formae rotundae, collo triangulari, et grypho eminens, qui parte antica visitur, fabricata ex argilla rubra.

Effossam in *Föveny* Fran. Vörös *de Farád* Museo cessit.

30) *Alia* caprina, ex argilla rubra, formae orbicularis, in parte postica figura caprae caelata.

Inuenta est in *Nagy Szöny*, et a Ios. Bély ad Museum relegata. Haec quoque hieroglyphicis adnumeranda censetur. Lucernas enim a figuris, quas repraesentant, et ab animalibus, quae illis impressa sunt, accipere appellationes, iam § VII. num. 36. insinuatum est. Vnde signa, figuras, et animalia suis non carere significationibus facile intelligitur. Fuerunt etiam Lucernae, quarum forma ex Mythologia petita est, eaque de caussa mythologicae nominantur. Apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* a Tab. CXXXXIV — CL. diuersissimae formae, et magnitudinis Lucernae proferuntur.

31 — 32) *Aliae* duae ex argilla rubra eiusdem magnitudinis, in antica parte tribus globulis notatae, in postica glabrae.

Digitized by Google

Vtraque inuenta est *Sabariae*, in loco, vbi quotannis plures effodiuntur, probabilius sepulchrales, quas certe Ovidivs non credidit ardere in perpetuum, sed humore, vel oleo deficiente, extinqui ex *Heroid.* epist. XIX. v. 195. colligendum est, si hemistichium: *iam dormitante lucerna*, attendere lubet.

33) *Dolium* testaceum parui moduli, encausto figulino pictum, minus tamen polito; cuius pars media vtricularem ostendit formam, vti in doliis vsuuenit, quae vietores ex ligneis tabulis compingunt; pars superior gaudet epistomio ansato, vt manibus capi possit; inferior quatuor instructa est nodis in vicem basis, quibus incumbit.

Dolium hoc effossum est *Essekini* vna cum sarcophago, e suppleuit vices lagenarum, quas §. VIII. num. 1. et 2. indicauimus. Quum enim e sarcophago exceptum est, obseruatum fuit aqua repletum, et epistomium pice fortiter obduratum. Sacerdotes Ord. S. Fran. Prou. Capistranae ad episcopum Ant. Mandich detulerunt, a quo apertum, aqua pedetentim euanuit, post cuius mortem Museum adhuc integre conseruatum obtinuit.

34) *Patera* testacea ex argilla rubra, in diametro vnum pedem metiens.

Inuentam *Budae*, Archidux Iosephvs Palatinus ad Museum misit. Huic affinis exhibetur in Begeri *Thes. Brand.* Tom. III. pag. 382.

35) *Alia* minor aeque ex argilla rubra, nitide confecta.

Sabariae effossam in loco, vbi nunc templum Cathedrale erectum est, Museo Sigis. Ivanics procurauit.

36) *Alia* parua eiusdem materiae, atque formae.

Pavl. Bittroff hanc *Siesekino* ad Museum ablegauit. Forma illarum concipi potest ex typo apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LV. fig. 4. et 5. expresso. An vero ad vsum escarium, vel ad excipiendum victimarum sanguinem destinatae fuerint, definire nequaquam auserim. Vinum in illas fusum fuisse, Petronivs confirmat, quum *Satyric.* Cap. LX. ait: *vnus pateram vini circumferens, Dii propitii, clamabat.*

37) *Vrna* ex argilla nigrescente, labore encaustico tesselata, in qua etiamnum cineres concremati cadaueris existunt.

Accedit ad formam vasis escarii, quod Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXII. fig. 21. profert. Quod Romani veteres defunctos fictilibus doliis condere maluerint, Plinivs *Hist. Natural.* Lib. LV. Cap. 12. testificatur.

38) *Alia* paululum minor ex eadem materia, vtrinque ansata, similis priori, sed sine cineribus.

Huc quoque refero illa, quae recentissime in erudita sua *Meditatione de sepultura Hominum* pag. 22. et seqq. Math. Holko docuit.

39) *Alia* paruula eiusdem formae, materiae, et vsus.

Tres istae vrnulae simul effossae in Comit. Tolnensi pone *Bátaszék* a Ioan. Latinovics *de Borsód, et Kattymár* Museo datae sunt.

Digitized by Google

40) *Alia*, parua, bene conseruata ex rubra argilla.

Hanc in propria vinea *Wissegradi* inuenit, et Museo destinauit Demetr. Dvmtschia.

41) *Alia* maioris moduli, vmbilicata, cum latiore orificio, ex argilla flauescente in plena integritate.

Prope attingit formam vasis, quod dedit Schatzivs in *Antiquit. Graec. et Roman.* Tabula LXXXXIV. fig. 8. Inuentam in *Dad*, possessione Comitat. Comáromiensis Museo addixit Alex. Marczinkey artis Pictoriae cultor.

42) *Alia* magna ex argilla nigra cum operculo, in qua adhuc concrematorum ossium reliquiae repertae sunt.

Si ornamenta demas, proxima est vrnae sepulchrali in Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CXXVIII. fig. 9. Erutam in agris *Sabariensibus*, sine vllo vitio, Museo transmisit Iac. Schelle. Nonnulli Antiquarii discrimen fecerunt inter vrnas cineribus repletas, et inter illas, quae ossa concremati continent. Illa nominabant *cineraria*, haec vero *ossuaria*. Begero, qui in *Thesaur. Brandenb.* Tom. III. pag. 400. et seqq. plures vrnarum typos vulgauit, haec distinctio non probatur.

43) *Alia* ex argilla rubra in forma cacabi maioris pro recipiendis concremati cadaueris cineribus, quorum pars aliqua etiamnum in ea continetur; si vitiatum orificiolum excipias, caeterum integra est.

Non differt a Schatzii *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CXXVIII. fig. 14. Harum vrnarum plures in Prouinciis condam Romanis, quam in vrbe Roma reperiuntur, documentumque sunt paupertatis. Plebs enim infima fictiles plerumque vrnas adhibuit, opulentiores duntaxat ossa, et cineres suos, vrnis, e diuerso metallo, aut marmore, splendide fabricatis, recludendos constituerunt. Ista in *Bátaszék* eruta a Ioan. Latinovics *de Borsód, et Kattymár* Museo illocata est.

44) *Alia* ex testa nigra, bene conseruata, rotunda, mediocris formae.

Effossa est in *Pentele* Comitat. Albensis Praedio, et a Fran. Vörös *de Farád* Museo cessa.

45) *Alia* grandioris formae, rotunda, ex testa nigra.

Inuentam in *Körtvélyes* Ios. Iankovics *de Ieszenicze* Museo transcripsit.

46) *Vrna* magna, orbicularis, sat lato orificio praedita, et integra.

Profunde sub terra in *Ferencz Szállás* inuenta, posteaquam in Practorio Félegyháziensi triginta quinque annis asseruata fuit, per Magistratum Districtus Iazygum, et Cumanorum an. 1817. ad Museum transposita est. Dum adportaretur, aliquae ossium particulae, cineribus mixtae, in ea iacebant. Nullus dubito in Ditionibus coronae Apostolicae olim infinitas diuersae formae vrnas, et alia vasa fictilia reperta esse, sed nulla conseruandi cura adhibita, interiisse. Non tamen propterea negligentiae populares nostri arguendi sunt, quum experientia doceat, nec exteris fuisse longe maiorem sollicitudinem. In Museis vix aliqua comparent, nisi speciale aliquid praeseferant, omni vitio careant, aut etrusca sint. Inest tamen vrnis aliquid, quod mortales moneat, si Ivvenalem *Satyr. X. v.* 172. de Vrnis audias dicentem:

Aestuat infelix angusto limite mundi,
Cum tamen a fibulis munitam intrauerit vrbem,
Sarcophago contentus erit. Mors sola fatetur,
Quantula sint hominum corpuscula. – – –

Digitized by Google

47) *Amphora* etrusca cum ansa, vitiata quidem, attamen singulari, ex qua confecta est, argilla, figuris eminens. Pars anterior refert colore flauo caelatam mulierem, tunica talaria vestitam, quae manu speculum tenet, Genius autem alatus ei patinam porrigit, inter eosdem vnipes mensula rotundae formae posita est.

In Hungaria defectus vasorum etruscorum amphoram hanc reddit raram. Adductá est ex Herculano, diuque Budae Cimelium Stephi. Marczibányi *de Puchó* ornabat, donec cum eius obitu ex dono successorum ad Museum transiret. Demtis figuris, parum abludit a typo, quem Gorivs *Antiquit. Etrusc.* Tab. XL. fig. 4. dedit. Pretiosissimus talismodi vasorum etruscorum, aspectuque iucundissimus adparatus nunc Viennae existit in Cimelio Caes. Reg. Aulico Antiquitatum, Raritatum, et Pretiosorum.

48) *Alia* fictilis, incrustata, in conum ansatum assurgens, cum lato orificio.

Effossam in *Szomod*, ad Museum, adhuc bene conseruatam, transferendam Fran. Vörös *de Farád* disposuit. Ei affinem apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. III. fig. 13. repraesentat.

49) *Alia* ex argilla rubra, forma priori similis, trium sextariorum capax, nitidissime efficta, et sub terra saeculis integre seruata.

Aestimatissimam hanc antiquitatem e profunditate septem orgiarum ad *Eszekinum* eiectam an. 1822. Ioan. Szallopek Museo dicauit. Iconismus illius habetur in Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXIII. fig. 10.

50) *Alia* testacea rubra, priori magnitudine et forma similis, perinde ansa armata, et integra est.

Museum illam percepit a Sereniss. Archiduce Iosepho Palatino.

51) *Alia* figulina, minoris formae, ex argilla rubra, et ansata.

In campis Sabariensibus erutam, Museo deuouit Iac. Schelle. Forma illius extat apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIII. fig. 26.

52) *Alia* parua, priori similis, perinde ex argilla rubra.

Effossa in Sclauonia, post obitum Ant. Mandich ad Museum pertigit.

53) *Alia* ex argilla nigra, quae formam duarum praecedentium aemulatur.

Ex Comitatu Baranyensi allatam Museo cessit Sigis. Ivanics. Amphorae vino, et aliis liquoribus conseruandis, vel fundendis deseruiebant, ac ea de caussa plerisque ansae additae sunt, operis vt plurimum figulini, exceptis iis, quae in Sacrificiis abhibebantur.

54) *Potorium* ansatum ex nigra argilla, encausto caelatum.

Inuentum in *Bátaszék* Museo Ioan. Latinovics *de Boxsód, et Kattymár* tradidit.

55—57) *Alia* tria, ex argilla nigra, polita, maioris moduli, paululum vitiata, latiore praedita orificio, inferius rotunda, sine styliobata, vtrinque ansulis instructa.

Digitized by Google

Effossa sunt in Comit. Békesien. Praedio *Vesztő*, caeteris vasis figulinis fere omnibus confractis. Comes Fran. a Wenkheim S. C. R. A. M. Camerar. et ad Excel. Cameram Imperial. C. R. Aul. Secretarius Museo contulit.

58) *Aliud* e terra sigillata, rotundum, cum latiore collo, et duplici ansa ad bibendum conformatum. Opus elegans figulinum, encausto caelatum, et optime conseruatum.

Allatum ex Herculano C. Leop. Andrássy *de Csik Szent Király, et Krasznahorka* Museo resignauit. Apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LV. fig. 15. eidem similis depingitur.

59) *Aliud* encausticum ex argilla nigra cum duplici ansula.

Forma illius extat apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIII. fig. 17.

60) *Aliud*, sextarii capax, ex argilla rubra, faciem humanam referens, instructum ansa.

Tum hoc, tum praecedens ex *Duna Pentele* a Fran. Vörös *de Farád* Museo obtigerunt.

61) *Aliud*, ex argilla rubra, rotundum cum lato orificio, et inferius capulo duos tantum digitos alto instructum loco basis, eapropter non aliter, quam inuersum consistit.

Eius forma concipi potest ex Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIIII. fig, 12. Isthoc potorium pro bibulis effictum esse, ex forma diuinare licet. Stylobata caret, ne ad mensam poni possit, donec ebibatur. Talia etiamnum inter Illyricae nationis homines in conuiuiis circumferuntur, Pocalium nomine insignita.

62—64) *Alia* quatuor, ex argilla nigra ex fundo rotundo, in conum cum lato orificio protensa.

Huius formae pocula appellabantur *Sextarii Castrenses*, vel *duplicati*, tam in mensura aridorum, quam liquidorum adhibiti. Sextarius enim vrbanus viginti duntaxat vncias, castrensis contra quadraginta capiebat, quod ex magnitudine, qua inter se differunt, adperte cognosci potest. Ista ex *Vesztő* C. Fran. Wenkheim misit.

63) *Ampulla vinaria*, semialterum sextarium recipiens, ex rubra terra lemnia eleganter efficta, cum breui collo, angusto orificio. Isthoc opus figulinum encausto pictum, a sordibus tam diligenter mundatum est, vt pene pro huius aeui fabricato haberi queat. Forma illius orbicularis ornamento gaudet vndulato.

Appulit ex Herculano, et Museo cessa est a C. Leop. Andrássy *de Csik Szent Király, et Krasznahorka.* Plurimum accedit ad iconismum, qui apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. CXXXVIII. fig. 14. exhibetur, aut in *Thes. Brand.* Tom. III. pag, 396.

66) *Vrceus* ex testa rubra, cum simplici ansa, bene conseruatus.

Effossum Budae in agris Okenfvs, Ciuis, e regione horti Palatinalis, Archidux Iosephvs Palatinus Museo dedit.

Digitized by Google

67) *Alius* priore minor, encausto flauo et ansa instructus, et integerrimus.

E terra profunde eiectum in *Ferencz Szállás*, per triginta quinque annos *Félegyházienses* conseruarunt: tandem Districtus Iazygum, et Cumanorum in Museo reponendum constituerunt. Ideam formae praebet Schatzivs *Antiq. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXIII. fig. 27.

68) *Alius* parui moduli ex argilla nigra, ansula vitiata est.

Ex *Veszto* percepta est a C. Fran. Wenkheim. Aliquid similitudinis ostendit cum typo, qui in Gorii *Antiquit. Etrusc.* Tab. XL. fig. 1. comparet.

69) *Olla* communis, nostri aeui fictilibus fere similis, ex rubra argilla.

A Serenissimo Archiduce Iosepho Palatino tradita.

70) *Alia* coquinaria, ansata, e terra flauescente tam fortiter compaginata, vt cum lapide comparari possit.

Hanc in *Nyerges Vjfalu* inter rudera inuentam Steph. Horváth Museo intulit. Ab Olla veteres aptum adagium, dum amicitia languet (cuius etiam Erasmvs meminit) *olla sociorum male feruet*, ex Petronio *Satyric.* Cap. XXXVIII. frequenter vsurparunt.

71) *Alia* parua, ex argilla rubra, octo globulis decorata.

72) *Alia* minor, perinde ex argilla rubra, glabra.

73) *Alia* maioris moduli e nigra terra, bene cremata, ab vmbilico in conum assurgens.

74 — 75) *Aliae* duae eiusdem magnitudinis vtriculatae, etiam ex nigra terra effictae.

Omnes quinque fuerunt in *Sövényháza* effossae, et ab Alexand. Nevholdt *de Sövényháza* Museo cessae. Parum abludunt a typo, quem Schatzivs *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. LXXXXIV. fig. 10. exhibet.

76) *Alia* etrusca, vnius sextarii capax, exornata floribus, capitibusi, aliisque figuris non inconcinnis, pone orificium fracta est.

Ex Herculano in Hungariam aduectam Museo procurauit Petr. Szeky, Med. D. et Comitatus Borsod. Tab. Iud. Assessor.

77 — 80) *Aliae* quatuor, specialis formae, in altitudine quinque digitorum, quarum interna cauitas instar vesicarum bullata est. Binae earum ex argilla rubra, totidem e terra nigra crematae sunt, sine vllo vitio.

Specialia ista schemata an. 1780. in Transsiluania innotuerunt, ad pagum *Oláh Fenes*, quorum vsus determinari nequit. Mihi videntur errore figuli enata esse, cui fortasse aliud effingere volenti, in

Digitized by Google

clibano argilla humida diffluxit, et in hanc informem figuram transiit. Inter Valachos etiamnum inueniuntur, et artificiosum antiquitatis paradigma putant. Hungari *hójagos Csupor* vocant.

81) *Catinus* testaceus ex rubra terra, mediocris moduli.

Hungaris *Tál*, Germanis *tieffe Schüssel*, vas fictile fuisse escarium (quod in Comitat. Neogradien. possessione *Kis Tereny* effossum Petr. Benyovszky *de Eadem* Museo tradidit) confirmat. Horatius *Sermon.* Lib. II. Eclog. 2. v. 39.

Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpiis gula digna rapacibus. —

82) *Alius* perinde mediocris formae, ansatus, ex nigra terra, operis encaustici.

83) *Alius* similis ex terra sigillata.

Vtraque conformis est apud Schatzivm *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXII. fig. 21. propositae. C. Leop. Andrássy *de Csik Szent Király, et Krasznahorka* Neapoli aduectas Museo dedidit. Dubito tamen, an Catini duntaxat esculentis deseruiuerint? Nam Persius *Satyr. V.* ait:

Portantes violas, rubrumque amplexa catinum.

84) *Alius* paruus ex terra nigra.

Inuentum in Comitat. Biharien. possessione *Esztár* Museo dicauit Pavl. Sárváry in Collegio H. C. Debrecin. P. P. O. Diuersae formae Catinos exhibet Begervs *Thes. Brandenb.* Tom. III. pag. 387.

85) *Alius* etruscus, admodum leuis, ex rubra terra sigillata, floribus eleganter caelatus.

86) *Alius* perinde etrusci operis e terra sigillata, floribus decoratus.

Ex Herculano adportauit, et Museo donauit fatis functus Fran. Tihavszky I. Ord. Leop. Imp. Eques, General. Camp. Vigil. Praefectus, et rei Tormentar. Vien. Districtual. Commendans. Qui vasorum etruscorum notitiam quaerit, Hamiltoni *Recueil de gravures d' aprés des Vases antiques c. iconib. Tom. II. fol. a Naples* 1791. consulat.

87) *Alius* e terra sigillata rubra, glaber, bene conseruatus.

88) *Alius* eiusdem magnitudinis, caelatus circulo nitido, stylobata instructus.

Vtrumque ex ruinis Romanis ad *Sissekum* pro Museo procurauit Pavl. Bittroff Ideam horum tribuit Schatzivs *Antiquit. Graec. et Roman.* Tab. LXXXXIV. fig. 18.

89) *Alius* ex argilla nigra, paruulus, circulo punctulato distinctus.

Effossus *Sabariae*, et Museo consecratus a Iac. Schelle, eiusdem formae est cum praecedente. Catinis, qui ex aere corinthiaco fabricati sunt, magnum hodie pretium est. Hoc enim ex diuersis metallis mixtum fuit. Capto quippe Ilio, Annibal omnes statuas aeneas, aureas, et argenteas in vnum rogum congessit, et eas incendit, inde enata sunt aera miscellanea, quae *fabri* (inquit Petronivs Satyr. Cap. L.) *sustulerunt, et fecerunt catilla, et paropsides, statuncula. Sic Corinthea nata sunt ex omnibus in vnum, nec hoc, nec illud.*

Digitized by Google

90 — 91) *Scutellae* duae ex argilla rubra, glabrae, instar nauiculae, vtrinque puppe acuminatae, minus polite per figulum effictae.

Istarum vsum definire, perquam difficile est, nisi fortasse melliniis, aut fructibus suffragari potuisse, existimes, quemadmodum hodie sitellae sunt, quas Galli *assiette* nuncupant. Mihi, fateor, simile s nunquam visae sunt. Istae *Sisseko* ex Croatia a Pavlo Bittroff ad Museum peruenerunt.

92) *Lebes* ex argilla nigra ad formam vasis fusorii, scilicet ab orificio lato in acumen desinentis.

Budae effossus ad hortum Palatinalem in fundo Ciuis Okenfus, et Museo transcriptus.

93) *Alius* eiusdem formae, sed minoris moduli ex argilla rubra.

94) *Alius* glaber, bene conseruatus, et albo encausto pictus.

95) *Alius*, polite formatus, ad eandem figuram, ex argilla nigra.

Tres isti effabre efficti sunt plane ad modum, quo hodie Pharmacopaei pro vnguentis, et aliis pharmacis vtuntur. Inuentos *Sabariae* Iac. Schelle Museo cessit.

96) *Alius* ex argilla flaua, a prioribus duntaxat basi differt.

Erutus in *Szent Endre* integer inter infinita fragmina fictilium operum ad pedem vineae Casp. Pajor *de Tóth Liptse*, qui eundem Museo cessit.

97) *Vas* maioris moduli ax argilla nigra, latiore orificio praeditum, prorsus simile moderno vasi coquinario.

Effossum est in *Sissek*, et a Pavl. Bittroff transpositum ad Museum. Inuenta sunt in eodem ossula concremata; vnde probabile est, fuisse adhibitum a tenuioris conditionis hominibus pro vrna infantis.

98 — 100) *Alia* tria, diuersae formae: perinde ex argilla nigra, minus fabre efficta, nec etiam integre conseruata.

Inuenta sunt an. 1816. in Colle ad Comitatus Békesiensis pagum *Vesztő*, et a Comite Fran. Wenkheim Museo oblata. Cui haec olim vsui accommodatae fuerint, non liquet.

101) *Aliud* specialis formae, ac incerti vsus. Pars quippe inferior, campanam repraesentat, cui instar turriculae tubus incumbit, in octo locis perforatus, cauitate tamen interna per campanam haud transeunte; etiam ex argilla nigra effictum.

Oedipo fortasse opus est, qui determinate ex vasis huius forma elicere possit vsum accommodum. Frustra illius apud rei antiquariae Scriptores typum quaerenti, ne hallucinarer, tacendum est. Inuentum est in *Vesztő*, et cum praecedentibus ab eodem Comite Wenkheim Museo administratum.

102) *Operculum* fictile ex argilla nigra, tegendae ollae idoneum.

Digitized by Google

Forma illius accedit ad operculum, quo in Schatzii *Antiquit. Graec. et Rom.* Tab. CXXXVIII. fig. 20. vrna clauditur. Museum *Sisseko* percepit a Pavl. Bittroff.

103) *Fragmentum* vasis etrusci ex terra tripolitana, figuris, anaglyphice caelatis, eminens.

Hoc est in oppido Camerali, ad *S. Andream* dicto, e terra eiectum. Nam Casp. Pajor *de Yöth Liptse* Tusculanum ipositurus, in profundam quadriformem fossam inpegit, centenis millibus talismodi fragmentis repletam, probabilius ex vasis, olim ruina domus confractis, illincque in cumulum coaceruatis. Omni adhibita diligentia, nullum totum componi potuit. Itaque memoriae duntaxat, et raritatis caussa, isthoc schema ad Museum anno 1809. receptum est. Cautos vero Antiquitatum Curiosos in fictilibus diiudicandis esse cupimus. Cum enim pauca Romanorum schemata a nostrae aetatis fabricatis differant, nisi certi adsint characteres, pro antiquis habenda non sunt.

Digitized by Google

Atque haec sunt graphice depicta Musei Nationalis Hungarici Schemata. — Etsi in his recensendis compendio, ne Opusculum in maiorem excresceret molem, studere oportuerit, ea tamen suo loco notare, neutiquam praetermisimus, quae publicae notitiae dare, digna, vtilia, et necessaria arbitrati sumus.

Namque freti criteriorum auctoritate, quae Antiquarii in examinandis vetustis monumentis adhibenda suadent, aduertimus diligentissime: 1) ad *pretium*, quo fabricatum gaudet, vel ab arte, vel ab interno valore, 2) ad *locum*, in quo inuentum, vel conseruatum fuit, 3) ad *gustum* artificis, qui vel peritiam, vel ignorantiam illius indicat, 4) ad *aetatem* paradigmatis, ac 5) demum ad eius *raritatem*.

Extant enim antiquitatis specimina, quae prorsus negligenter, aut minus polite efficta sunt, attamen ab auro, argento, et gemmis internum valorem recipiunt. — Sunt item alia ex aere, ferro, plumbo, ebore, lapide, vitro, testa, obuiaque materia adeo persaepe artificiose formata, vt pretium eorum omnem exspectationem superet. — Habentur etiam nonnulla, quae raritatis notam adsciscunt, quod eorum paucissima tantum, aut plane praeter vnicum exemplar, aliud affine haud existere cognitum sit. — Prostant quoque talia, quae eodem nitore, et elegantia in plurimis monumentis eminent, et aetatem manifestant, qua artes maxime florebant. Id cumprimis obseruare licet in Statuis, dexteritate artificis Graecanici effiguratis: immo etiam tardius in Hungaria reperta fuerunt Vasa sacra, et alia, quae Bizantii affabre procusa sunt. — Contra vero inueniuntur plurima admodum rudi manu elaborata, quae non modo collabescentis Imperii Romani fortunam, sed etiam alibi neglectum scientiarum, et artium non obscure perhibent. — Obseruantur insuper, medio cumprimis aeuo, aliqui familiares, in quibusdam fabricatis chara-

Digitized by Google

cteres, e quibus tempus eruere pronum est. Sic: sub initium saeculi XIV. Lilia, apud Hungaros in diuersis paradigmatibus frequentiora, regimen dominantis Stirpis Andegauensis indigitant. — Neque characteres desiderantur, qui immemorabilis temporis vetustatem in fabricato ostendant. Aerugo in Statuis, vasis, armis, etc. etruscis, graecis, et romanis, non raro politissima (quam *nobilem* vocant) indubitatum praebet antiquitatis testimonium. — Fragmentum, aerugine obductum, tute pro Romano tenendum est, si constet, effossum esse in loco, in quo Coloniam, Municipium, Ciuitatem olim extitisse, annales confirmant. Quod asseuerari potest de vetustatis reliquiis, ad Mitrouiczium condam *Sirmium*, ad Eszekinum olim *Murciam*, ad Sissek veterem *Sisciam*, ad Szombathely nunc, et olim *Sabariam*, et ad infinita superioris, inferioris, et Valerianae Pannoniae, Daciaeque loca inuentis. Contra est in calcaribus ferreis, quae sparsim in agris reperiuntur, saepe integra, saepe rubigine consumta. Haec perperam pro romanis, tametsi in memoratis locis e terra eiiciantur, a nonnullis habentur. Non enim saeculum XVI. antecedunt. — Cura, Artifices quoque medii, et recentioris aeui, ex certis signis detegendi, neutiquam neglecta est. Exploratum enim habetur celebrem Dvrervm, Nvnnertvm, Cellinvm, Angelvm de Bona Rota, Campionem, Messerschmidtivm, etiam tacito nomine, semet plasmatores huius, vel illius artefacti patefecisse. Sic: Rvbens in picturis se per id prodidit, quod personas omnes plerumque rotundae faciei pingere consueuerit. Seu itaque antiqui, seu recentioris aeui paradigmata sint, in iis recte diiudicandis animaduertenda est apta partitio, vel coniunctio membrorum, et rerum, quas plasmator attingere voluit, tum vero affectuum, quos *pathos* vocant, adeo viuida expressio, vt tacite loqui, ac contemplantis sensus quodam modo commouere videantur.

Ad hunc sane modum Schemata Musei, illorum gratia, qui istarum eruditarum illecebrarum congruum vsum facere desiderant, adumbrata sunt, nec secus aptum tuleris iudicium. Nonnulla enim non modo literatis, sed etiam illiteratis vario se nomine commendant. Id confirmant calices, statuae, tabulae, aliaque antiquitatis tum romanae, tum hungaricae, periti artificis manu fabrefacta, quae ex prototypis Cimelii nationalis iam transumta sunt, historiis non minus, quam arti pictoriae, sculptoriae, et chalcographicae promouendae suffragatura. — Corradantur cum fatigio antiquitatis, quae adhuc in regno supersunt, monumenta, ne amplius tot, tantaque rara, et pretiosa vltra Patriae limites, auri sacra fames euehendi, aut imperitia, vel contemtus, liquandi occasionem nanciscatur. Multa profecto nunc in exteris oris quaerenda sunt, quibus olim Hungaria potiebatur. Quae, si domi essent, Museum ornarent, scientiis autem, et artibus mire famularentur. — Paucula, quae foris aere redemta, et Patriae rursum recuperata sunt, in hoc Catalogo suo loco insinuare, et describere, nequaquam silentio praeteriuimus.

Digitized by Google

Quum autem recte determinandis paradigmatibus incredibilis opera impendenda sit, non raro typi in consilium vocati fuere, qui in praecipuis Antiquariorum Operibus occurrunt. — Quodsi artefactum adaequate respondere, aut proximam saltem affinitatem monstrare animaduertimus, iconismum indicare haud quaquam piguit. Multa tamen non nisi instituta cum pluribus, inter se quodam modo similibus, combinatione, verosimiliter definire licuit. — Non pauca semet offerunt, quae nec celeberrimus MONTFAVCONIVS nouit, et quae taciturnitate transmittere potius maluit, quam perperam depingere. Non enim latere poterat Antiquarium famigeratissimum multitudo eorum, de quibus conueniens idea formari nequit, nisi videantur, et multo studio examinentur.

Laborem istum sine duce perfecimus, nec in verba alicuius Magistri iurauimus, sed, inspectis pensitate infinitis varii generis Antiquitatibus, propriam, quae nobis in iuuentute euenit, experientiam consuluimus, quam veterum Scriptorum auctoritate confirmare contendimus. *Omissis* (inquit CICERO pro Lege Manilia) *authoritatibus, ipsa Re, et Ratione exprimere debemus veritatem.*

Si conatibus nostris Historiae, Sphragisticae, Mythologiae, et Archaeologiae aliqua facta est accessio, grati, precor, fruantur posteri. — Maiora tentent inuidi.

M. * *

Digitized by Google

Syllabus Paradigmatum.

Acicula tenuis Æ. romana.
Acus nautica vitiata E.
Ahenum tataricum manubriatum Æ.
Altare portatile, gemmis ornatum Æ.
Amethystus orbicularis, maioris moduli.
Amphorae 2. romanae ansatae Æ.
— — etruscae T.
— — 6. figulinae T.
— ex terra Sinica cum operculo Æ.
— 3. figulinae ansatae hungar. T.
Ampulla vinaria ex terra lemnia romana T.
Amuletum equitis Hierosolym. orbiculare Æ.
— graecanicum quadriforme Æ.
Annuli sigillares 15. hungarici Æ.
— — sex Æ.
— — Steph. Botskay Æ.
— — eburneus cum lamella Æ.
— — Carneolus sine nota.
— — 2. ex quibus gemmulae signatae exciderunt Æ.
— — *Romanus* aeruginosus Æ.
— — — cum carneolo. F.
— — — eburneus. Æ.

Digitized by Google

Annulus sigillaris Romanus cum aquila triumphali in carneolo Æ.
— — — Diana pharetrata in chalcedone AV.
— — — Horatius in carneolo AV.
— — — Marciana in smaragdo AV.
— — — Amor in carneolo AV.
— — — Caput ignotum in carneolo AR.
— — — Mars in carneolo AR.
— — — Aquila super basi in carneolo AR.
Annulus equestris Romanus cum epigraphi:
— Fidem Constantino AV.
— Alius sine nota AV.
— — sine nota Æ.
— — argentatus s. n. Æ.
— *Hungaricus* cum capite Franc. II. P. Rákóczy AV.
— Alius filatus cum 5. vnionibus AR.
— — cum malachite AR.
— — nodatus AR.
— — cum nodo grandiore AR.
— *Illyricus* cum 2. serulis, et 4. carbunculis AR.
— — cum nodulo, 12. carbuncul. 2. serul. et 5. perticis AR.
— *Turcici*, Talisman vocant AR.
— — hieroglypho signatus Æ.
Ansae 2. romanae ex sera portali Æ.
Arcus 5. Turcici ex osse, et cornu C.
Armillae brachiales illyricae AR.
— filatae Romanae AR.
— nodatae Rom. Æ.
Asciae 12. Rom. Æ.
Atramentarium pro minio romanum Æ.
Axis currulis pro machinis bellicis F.

Digitized by Google

Batillus focalis ad calefaciendos pedes Æ.

Cacabulus ex radice, fumatorius Æ.

— etiam ex radice, praepilatus ÆR.

Caestra 4. romana Æ.

— turcica 2. pro purgandis sugibulis.

— item cum dentiscalpio ÆR.

Calcaria 43. diuersae formae F.

Calix saeculi XIV. Kegleuichianus ÆR.

— saec. XV. Migazzianus ÆR.

— saec. XVIII. Claudiopolitanus ÆR.

— ex concha, cum manubrio ÆR.

— saec. XVII. tornatus cum operculo ÆR.

— ex nuce americana cum operculo, manubrio, et armillis 2. ÆR.

— similis deauratus Æ.

— nuptialis an. 1727. caelatus V.

Calybs tataricus maioris moduli F.

Cambucae 2. variae formae F.

— diuersimode figuratae 3. Æ.

— ex lapide serpentino.

— ex chalcedone.

Campanula de an. 1552. Æ.

Candelabra tripedalia parua romana Æ.

— magnum Rákóczianum Æ.

Canistrum cum manubrio pro victimis Æ.

Catapultae 5. manuales F.

Capulum gladii romani E.

— clathratum Æ.

— 2. rubiginosa F.

Carneolus icone M. Theres. caelatus AV.

Catena quatuor orgias longa Æ.

— venetiana pro collari ornamento ÆR.

Digitized by Google

Catena similis solidioris fabricae Æ.

— longa ex tenuibus filis texta Æ.

Catillus ex poculo venatorio Æ.

Catini romani, et etrusci 9. T.

Chalcedon signatus capite laureato romano.

Cingulus Susannae Lorántfi Æ.

Circulus romanus pro ornatu capillorum C.

Cistula calybea pro offuciis muliebribus F.

— quatuor lusoriae caelatae E.

Clathrum octogonum roman. dubii vsus Æ.

Clauae Georg. II. Rákoczy, et Familiae Fejérváry nitide caelatae 2 Æ.

— multiformes octo F.

— diuersae formae quatuor Æ.

Claues romanae quinque Æ.

— duae rubiginosae F.

— maior Castri Osdgyán F.

— aeque portalis ex Buda Örs F.

Clauiculi 6. minuti romani Æ.

Cochlear caelatum ex buxo hussiticum L.

— ex iaspide aegyptiaco lamellatum Æ.

— duo diuersae formae Æ.

— duo romana Æ.

Cochleola romana apice tecta Æ.

Collare ex filis aureis, intextis 2. saphyris, 2. smaragdis, et 20. vnionibus Æ.

— ex impolitis 11. hyacinthis.

Conchylium, capite muliebri caelatum.

Corolla (Párta) ad ornatum puellarum Hungaricarum capitis pertinens Æ.

Corymbia (Haarputz) duo illyrica Æ.

Cothurnus Iterois Steph. Koháry.

Crepida eiusdem Coniugis ex corio rubro.

Digitized by Google

Croatium, siue pondus roman. in catenula Æ.

Cruces duae abbatiales Æ.

— parua signata literis: I. H. S. Æ

— ex subere L.

— cum effigie Saluatoris L.

— ex lythantrace petrificato L.

Culter aegyptiacus pro victimis Æ.

— quatuor diuersae formae romani Æ.

Dolabra 7. roman. seu secures Lictorum Æ.

Dolium puluerarium (Bombe) F.

— romanum encausto caelatum T.

Elateres 3. in conum assurgentes Æ.

Emunctorium turcicum Æ.

Ensis flammatus (*fogas Tör*) F.

— scoticus cum capulo gyrato F.

— duos digitos latus, priori affinis F.

— ferro consumto, capulo integro, similis F.

Ephipium hungaricum, figuris caelatum E.

— turcicum acu phrygia pictum.

Fibula romana sine acu Æ.

— 26. diuersae formae Æ.

Fila 2. aurea in campis iuuenta Æ.

Forceps pro oblatis pinsendis antiquus F.

Fragmentum vasis ex terra lemnia etrusci T.

Framea operis damasceni, vagina auro cristata, capulo 6. eranis ornata F.

— etiam damascena in vagina noua Æ.

— auro caelata nomine Sigismundi III. R. Polon. et an. 1506. F.

— damascena, in vagina ex bysso lamellata Æ.

— duae militares hung. sine vagina F.

— Prin. Transsil. Gab. Báthory in vagina F.

Digitized by Google

Furni 2. ex caldario Romano T.

Galea inaurata Georgii Thurzo F.

— 4. aliae communes F.

Gemmae hungaricae 43. in quadrum locatae.

— 33. in forma aedificii.

— 37. stellam referentes.

— 33. octogonum formantes.

— 47. instar Pyramidis.

— 22. figurae rhomboidalis.

— 50. in forma Crucis octogonae.

— 46. in forma circuli, intercipiens triangulum.

— 138. effingunt literas: I. A. P.

— Hungaricae 9. caelatae in tabula ouali flaui serici, glutinatae.

— Romanae caelatae e. g. Onyx cum tauro.

— Onyx cum Naiade, et Satyro.

— Carneolus cum Minerua.

— Chalcedon cum Cerere palliata.

— Achates super obsidiano cum capite iuuenili cincinnato.

— Ebur cum capite barbato.

Gladii 3. romani cum capulo. Æ.

— militares 2. cum capulo F.

— 2. cum manubrio Scotico Æ.

— Calendarialis cum capulo in vagina.

— Solingensis insculpto an. 1517. breuis F.

— Alius de an. 1414. etiam breuis F.

— Equitis Hospitalarii ad Albam F.

— Sinensis laminatus cum 160. eranis Æ.

— Pauli Kinisii laminatus Æ.

— Lati 4. longique vnius orgiae, cum ingenti manubrio, vnus est denticulatus F.

— Gothici 3. lati sine capulo F.

Digitized by Google

Gladii duo bene conseruati in vagina F.

Graphiotheca pro connotationibus faciendis Æ.

Hamulus romanus pro capiendis piscibus Æ.

Hastae romanae diuersae formae septem Æ.

— militaris Austriaca inaurata Æ.

Hecatombe Vestam cum Amore referens Æ.

Horologium astronomicum a. 1566. Æ. et Æ.

— hodeporicum rotundum ex annulo pendens saeculi XVI. Æ.

— saccale artificiosum E.

— solare vitiatum Æ.

Iacula (Wurfſpieß) 3. turcica in theca lamellata Æ.

Inaures 2. instar amygdalorum Æ.

— 2. ex catenulis pendentes Æ.

— 4. instar oui columbini Æ.

— 2. ad formam globuli Æ.

— 2. Dacicae Æ.

Lacrymatoria 3. pro guttis recipiendis V.

Lagenae Romanae 2. maiusculae V.

— 3. paruae, caerulea, flaua, alba V.

— 2. paruae turcicae ex succino electrico pro oleo rosarum.

— magna cum scuto familiae *Baky* 1695. V.

Lamellae 10. diuersae formae Æ.

— Romanae. 2· Æ.

Lancea longa F.

— aeque longa instar coni F.

Larua romana Æ.

— cinerei coloris T.

Lebetes 5. romani variae formae T.

Limax caelatus icone Alexandri M.

Lithocolum (Paste) Herculem exhibens.

Digitized by Google

Loricae 2. hamatae ex ferreis filis F.
Macheriolum (Bajonet) ad sclopum F.
Machinae 2. bellicae antiquae Æ.
— longae 2. et angusti orificii F.
Manicae 2. brachiis affibulatae F.
Manubria 5. tornata ex vasis romanis Æ.
Manulea Pauli Kinisy hamata F.
Mausoleum Beatae Margarethae O.
Mensalia, cochlear, culter, et tridens ℞.
— ex iaspide variegato, et pyropis.
— ex chalcedone, lamellata. ℞.
— ex myrtiolo sine cochleari.
Microscopium Muschenbröckianum ℞.
Mnemosynon Deae Fortunae sacrum ℳ.
Mucro turcicus (Handsár) in vagina argento lamellata ℞.
— cum vagina, et argenteo capulo ℞.
— damascenus sine vagina, et capulo F.
Nodi 12. hungarici ex achate cum filis aureis.
Noduli 2. ex acu capillari foeminea ℞.
— 2. reticulati ex tunica Petri Zriny ℞.
— 2. aurati, et totidem dimidii ℞.
— hungaricus an. 1694. *sola iustitia* ℞.
— romanus cum stilo ad operas muliebres Æ.
— ansatus ignoti vsus, romanus Æ.
— apice duplici contectus, romanus Æ.
Obsidianus caelatus, icone Iosephi II. Imp.
Olla caelata cum epitomio. St.
— grandis turcica operis figulini. T.
— duae Heroum iconibus decoratae ℞.
— ex obsidiano argenteis filis incincta ℞.

Digitized by Google

Olla exigua romana cum duplici ansa Æ.
— ex argilla rubra T.
— ansata ex argilla flaua T.
— parua ex argilla rubra globulis referta T.
— minor glabra ex argilla rubra T.
— maioris moduli in conum assurgens T.
— vtriculata ex terra nigra, vti prior T.
— vesicatae 4. rubrae 2. nigrae 2 T.
— etrusca, nigris floribus praedita T.
Operculum ex tenui lamella Æ.
— fictile ex argilla nigra T.
Parazonia 9. diuersae formae Æ.
Parietinae fragmentum ex badio marmore M.
Parmula Ordinis S. Georgii gemmata AV.
— reticulata cum D. Fran. et Ant. AV.
— Ord. abbreuiatis literis M. T. AV.
— Confraternitatis rubinis vallatum AV.
Patera manubriata pro libamine victimarum Æ.
— orbicularis cibationi accommoda Æ.
— parua tenuis lamellae Æ.
— mediocris formae Æ.
— ex argilla rubra 3. T.
— baptismalis magna Æ.
Patinula octogona cum textibus S. Scripturae S.
— octogona ex iaspide colorato.
Pecten Ferdin. IV. Hung. R. lamellatus AR.
Pes equinus, fragmentum Æ.
Phalera equilis reticulata Æ.
Phialae 3. ex chalcedone.
— romana instar patellae V.

Digitized by Google

Pila, ex qua pendebat porta Æ.
Pilum triangulare acutum F.
— triangulare ex lamina terebrata F.
— acuminosum, rubigine consumtum F.
Pixis pro herba nicotiana operis anaglyphi ℞.
— quadriformis ex achate cinerei coloris.
— quadriformis ex rubro iaspide.
— oualis, ex carneolo.
— ex cornu rupicaprino caelata.
— orbicularis ex laua Vesuuiana.
— quadriformis ex breccia carpathica.
— similis ex scoriolo Transsiluanico.
— eiusdem formae, ex iaspachate cinereo mussiui operis.
— oualis, gemmis tesselata, et marginata ℵ.
— caelata arce, quadrangularis E.
— symbolis caelata, orbicularis E.
— petreficata quadriformis, mussiuo opere, gemmulis Tokainum exhibens, et immarginata ℵ.
— quadriformis, floribus aureis eminens ℞.
Poculum turcicum ℞.
— magnum intextis numis ℞.
— libatorium ex lapide serpentino.
— crystallinum caelatum, cum operculo, cum margine inaurata ℵ.
— ex iaspide intextis 64. hyacinthis.
— ex duabus conchis, cassidem effingentibus.
— ex iaspide, aurata margine munito ℞.
— M. Luthero a. 1530. a Cath. Iboret dicatum ℞.
— Paul. Lányi, et Barb. Dirner a. 1708. V.
— textibus V. T. caelatum ℞.

Digitized by Google

Poculum Eugenii condam Sab. Ducis V.
— Venatorium cum fundo argenteo E.
— ex corio, acu phrygia pictum, marginatum Æ
— quercinum excauatum L.
Potoria romana ex argilla cum duplici ansa 3. T.
— ansatum ex argilla nigra politum T.
— ex terra sigillata cum duplici ansa T.
— ex argilla nigra encausto caelatum T.
— ex argilla rubra cum facie humana T.
— ex argilla rubra, inferius capulo instructum T.
— 4. ex argilla nigra, in conum protensa T.
Praepilatum scrinii senem barbatum extensis manibus vncatis referens Æ.
— lamineum scrinio accommodum Æ.
— vasculum paruum repraesentans Æ.
— in forma exigui trianguli, Æ.
Priapus scortis e collo pendens Æ.
Protoma Mathaei Trenchiniensis Æ.
— Steph. Báthory R. Poloniarum E.
— T. Vespasiani in dente aprino.
— 2. Democriti ridentis, et Heracliti plorantis ex alabastro M.
— Eaedem figurae in maiori formato T.
— Idolum Sinense (Pagode) St.
— Caluaria nitide fabricata E.
— Alia, parte vna formosam mulierem, altera vermibus exesam referens E.
— Vestae, velo tectae, ex alabastro M.
— Equeiadis Æ.
— Isidis ex granite.
— Diuae Iuliae Æ.
— Capitis virilis barbati ex granite.
— Viri mystacati, naso vitiato, ex petra.
— Capitis iuuenilis ex alabastro.

Digitized by Google

Protoma Palladis cum capite Medusae Æ.

— Iouis cum cappa phrygia Æ.

— Graii canis Æ.

— Iunonis cum ansula Æ.

— Viri consularis ex argilla rubra T.

— Iuuenis capilliciati M.

— cincinnati Iuuenis, naso vitiato M.

Pugiones (Hegyes Tör) 6. vnius orgiae longi cum capulis diuersi metalli ÆR. Æ. F.

— equestris (Turnier Degen) per elaterem ad semialteram orgiam protensus F.

Pyrothecae 2. calybeae varie caelatae.

— cum longo cono ex sycoromo L.

— formae lunaris, argento pelliculatae ÆR.

— eiusdem formae pelle crocodylli vestita.

— encausto opere ex aere fabricata ÆR.

— in figura piscis, et canis E.

— ex nuce ebore caelata E.

Rosarium ex lapide calcario rubescente fibrillis argenteis ornatum.

Rudicula pro conterendo thure sacrificali Æ.

Rutra 6. tria maiora, et totidem minora Æ.

Sacellum, cui Saluator in cruce incumbit T.

Sagittae complures in fasciculum colligatae.

Scalpium pro auribus, et dentibus romanum Æ.

Scalpra ansata pro poliendis lapidibus Æ.

Sclopetum tres pedes longum Æ.

— (Szárnyas Fegyver) duas fere orgias longum cum lato orificio F.

— vnius orgiae longa fistula prouisum F.

Sclopelli manuales 2. damasco, et argento fulgentes ÆR.

Sclopus Seruianus, integre calybeus F.

— alius cum manubrio ligneo F.

— alius operis damasceni F.

Digitized by Google

Sclopus referens in fistula septem Electores F.
— priori similis, sed fistula glabra F.
— fistula orichalco, manubrio ebore ornatis F.
— minor tubo textili instructus F.
Scutella glabra inaurata cum annulo Æ.
— animalibus decorata Æ.
— floribus ornata Æ.
— animalibus, et floribus eminens Æ.
— romanae 2. ex argilla rubra instar nauiculae T.
Scutum ex chelonio testudinis, americanum.
Scyphus pauonem repraesentans Æ.
— cum tribus ex ebore Gratiis Æ.
— ceruum referens. Æ.
Secespitae 2. longae ad iugulandas victimas Æ.
Seculae 3. aduncae ad metiendas fruges Æ.
Securis carnificina sex digitos lata F.
— humeralis damascena de an. 1649. F.
— antiqua manualis F.
— signata effigie Mich. et Georg. Estoras F.
Sera in forma cordis O.
Sica neapolitana, argento pelliculata F.
— veneta, signata I. N. R. I. literis F.
Signifer romanus impressus arenae T.
Stapia parua rubigine exesa F.
— magna, etiam vetustate consumta F.
— informis, et fragilis F.
— turcica ex inaurata lamina F.
Statera castrensis pro oralibus portionibus F.
— romana, iugo integro, patinulis consumtis Æ.
— e iugo catenula cum tribus vncis Æ.

Digitized by Google

Statua antiqua, *Christus* Saluator Æ.
— *Hungari* 2. scyphum tenentes Æ.
— *Sceleton* mortis cum falce Æ.
— *Sutor* Sinensis St.
— *Mulier* Sinensis saccum ferens St.
— *Alia* sedens, peponem ostendens St.
— *Sacrificulus* Iaponensis St.
— *Maria* mater Coelorum E.
— *Mulier* Africana cum corbe T.
— *Alia* linteamine tecta T.
— *Stephanus* Rex I. Hung. E.
— *Gisela* Protoregina Hung. E.
— *Carolus* Lotharing. Dux M.
— *Minerua* recentioris fabricae M.
— *Alia* vitiata Æ.
— *Saturnus* ex recentiore fabrica M.
— *Idem* cum falce Æ.
— *Iuno* operis recentioris cum Pauone M.
— *Alia* togata, et coronata Æ.
— *Hercules* sedens, fila trahens E.
— *Alius*, dictus Mehadiensis Æ.
— *Alii* 4. aequalis formae Æ.
— *Mars* hastatus in curru triumphali T.
— *Alius*, cui hasta deest Æ.
— *Alii* 2. parui, sibi similes Æ.
— *Atlas* P.
— *Marsias* truncatus Æ.
— *Terreus* Æ.
— *Socrates*, venenum hauriens Æ.
— *Osiris* Æ.

Digitized by Google

Statuae Meleagri 2. diuersae altitudinis Æ.
— *Annubes* 6. eiusdem formae Æ.
— *Iupiter* ex fabrica rom. vitiato cubito M.
— *Alius*, tonans dictus, vitiato pede Æ.
— *Alius* cum aquila in manu Æ.
— *Satyri* 2. ambonem sustinentes Æ.
— *Faunus* truncata manu Æ.
— *Pan* cum auicula Æ.
— *Cupido* pharetratus Æ.
— — dormiens Æ.
— *Gladiator*, desiderato gladio Æ.
— *Lixa* cum ampulla, et cochleari Æ.
— *Priapus* Æ.
— *Nereis* super monstro marino sedens Æ.
— *Victoria* cum suis attributis Æ.
— *Flora* sedens Æ.
— — cubans Æ.
— — cum omnibus attributis Æ.
— *Bellona* maioris moduli Æ.
— *Sacrificulus*, vitiata manu dextra Æ.
— — etruscus, manibus truncatis Æ.
— — graecus cum patera Æ.
— — aegyptiacus cum notis hieroglyph. Æ.
— — in forma monachi christiani Æ.
— — romanus cum patera, et fronde Æ.
— *Mulier* infantem tenens O.
— *Busterichus* (*torso* vocant) ex marmore.
— *Mercurii* 2 cum sacculo Æ.
— — volans, vitiato pede Æ.
— — sedens cum attributis Æ.

Digitized by Google

Statua Mercurii alia, caduceo deficiente Æ.
— *Pomonae* 2. bene conseruatae Æ.
— — 2. minores eiusdem formae Æ.
— *Genius* alatus Æ.
— — cum fascia Æ.
— — fracto brachio, et distortis pedibus Æ.
— — exiguus sine alis Æ.
— — informis capitis Æ.
— — 3. similes cum corbibus Æ.
— — sedens cum cornucopiae Æ.
— — ala, manuque sinistra fracta Æ.
— curuato capite, aliquid manu, quod distinqui nequit, tenens Æ.
— — duo cum capillitio ad humeros protenso Æ.
— *Theutones* 4. braccati, ocreati, mystacati, vno genu flexi, caput tenent Æ.
— *Isis* mumiarum more velata Æ.
— *Dianae* 3. diuersae formae Æ.
— *Cunia*, infantem sinu fouens Æ.
— *Lictores* 5. togati, caput ostendentes Æ.
— *Ceres* cum manipulo insistens globo Æ.
— — cubans cum attributis Æ.
— — cum corona spicea Æ.
— *Fundibalistae* 5. vibrantes lapidem Æ.
— *Fortuna* cum omnibus attributis Æ.
— — capite, et pala carens Æ.
— — incumbens palae Æ.
— *Noxii* 2. informes cum tintinabulo Æ.
— *Apollo* radiatus, pede in globum infixo Æ.
— *Helios*, facie radiis incincta Æ.
— *Bachinus* cum scypho, et cappa phrygia Æ.
— — flectens super globo, cum tabula in dorso, monstrosae figurae Æ.
— *Mancipia* 2. Dacica, nudipes, perisomate, et breui indusio amicta Æ.

Digitized by Google

Statua Pauentiae cum infante, animal calcantis Æ.

— *Ruminae*, vel *Rumiliae* 3. infantem lactantes Æ.

— *Rudiarius*, i. e. miles rude donatus Æ.

— *Matrona* cum teda inuersa Æ.

— *Ephydrias*, nympha fontana cum vase in 2. exemplaribus Æ.

— *Venus* nuda, insistens basi cum pomo Æ.

— — concham ostendens, sinistra tegens pudenda Æ.

— — nuda, capillis in coronam positis, infra collum colligatis Æ.

— — toga ad vmbilicum protensa, concham exhibet Æ.

— — capite cincinnato, nuda, pomum tenens Æ.

— — aperto vbere, fronte ligata, pede vitiato Æ.

— *Noctulius*, languore ad dormiendum dispositus Æ.

— *Ancharia* nuda, tegumento capitis ligato, pedibus iunctis, manu sinistra ad coxam inclinata Æ.

— *Cabirus*, pileolo tectus, nudus, manibus pendulis Æ.

— *Figura* ignota, coronata, perizomate breui, pedibus coniunctis, manu dextra pendente, brachio sinistro carens Æ.

— *Sphinx*, capite horrido, pectore humano, vngulatis pedibus leoninis Æ.

— *Apis* Aegyptiorum, in forma bouis Æ.

— *Ceruulus* aeruginosus exiguus Æ.

— *Equellus* exiguus aeruginosus Æ.

— *Anser* expansis alis Æ.

— *Leo* iubatus, protensis pedibus, cubans Æ.

— *Tygris* cubans Æ.

Stragulum ex rubra bysso, auro exsutum.

Stratum tesselatum mussiui operis.

— ex via Traiani ad Danubium.

Sustentamenta, siue 2. bases, quibus Lares domestici insistebant Æ.

Styli 6. diuersae formae pro scribendo Æ.

Tabula exigua quadriformis votiua Audacis pro Iulio nepote Æ.

— Lari, cuspidati tegumenti, posita M.

Digitized by Google

Tabula Fortunae Deae dicata M.

— Ioui Dulcheno sacra in duabus tabulis, tertia desideratur Æ.

— Apollini deuota, cuius duo adsunt exemplaria P.

— Neptuno consecrata, rudi opere Æ.

— orbicularis, cum capite galeato, in buxo sculpto L.

— Epiphania, rudi manu caelata E.

— oualis, cum effigie Laudonii M.

— rotunda, icone Leopoldi I. caelata E.

— quadriformes 2. oeconomiam ruralem repraesentantes E.

— Fuga Mariae in Aegyptum in 2. tabulis sub vitro E.

— Nauis procellis per mare iactata in mussiui operis tabula T.

— Coena Domini in tabella quadrata E.

— ouales 2., quarum vna natiuitatem, altera epiphaniam exhibet E.

— 2. quadriformes mussiui operis, prospectum regionum ostendentes M.

— — 2. Turcam, et mulierem referentes M.

— — 2. cum auiculis M.

— — oblongi quadri cum auibus M.

— 2. paruae ouales, quarum vna muliere galeata, altera filia patrem lactante eminet, caelatae M.

— oualis cum aquila Széchiana P.

— orbicularis cum scuto Széchiorum P.

— quadrata, iconem Fran. I. Rákóczy pictam referens.

— quadriformis parua caelata cum Christo Lazarum resuscitante Æ.

— orbicularis, in buxo caelatam exhibens Annam Ferdin. I. Hung. R. Coniugem L.

— oualis coaeua picta Ludouici II. R. H.

— orbicularis Caroli V. Imp. coaeua Æ.

— Alia, Alberti Dürer Æ.

— oblonga Saluatorem, inter maris procellas in naui dormientem, caelatum referens L.

— quadriformis de an. 1561. cum praesepi nati Saluatoris Æ.

Digitized by Google

Tabula eiusdem formae, opere mussiuo ostendens Aetnam igniuomum M.
— 2. mussiui operis quadrangulares, ruinas proponentes M.
— magni moduli cum icone Deiparae an. 1526. incisa M.
— Effigies Archiducis Iosephi Palatini super serico in tabula quadrata, acu ad viuum picta.
— Similis regionem proponens.
— rotunda in cornu bubalino Sanctos Eccl. Graec. caelatos referens C.
— quadriformes 2. quarum vna Susannam, altera Turcam, in Gynaeceo lenocinantem, ostendit caelatum L.
— orbicularis, in spatho, Centaurorum pugnam exprimens.
— quadriformis, vitae humanae exitu caelata L.
— oblonga, cum iconibus Sanctorum Graec. Ecclesiae E.
— quadriformis, amores Dianae cum Endymione coloribus exprimens C.
— oualis, cum concilio Deorum E.
— oualis, Apolline cum Marsia caelata Æ.
— duae, quarum vna Venerem cum Adone, altera eandem cum Cupidine, et Satyro exhibet Æ.
— quadriformis, Venere cumbente, cum Gratiis signata T.
— orbicularis, Petrum Alamannum caelatum exhibens Æ.
— — cum effigie Fuluiae Æ.
— — cum capite Socratis Æ.
— — — Zenonis Æ.
— — — Aristotelis Æ.
— — eum ignoto capite Æ.
— — maioris moduli, cum obsidione arcis, a Beneuenut. Cellini P.
— — oualis cum effigie Lepidae Æ.
— — cum effigie Diuae Iuliae Æ.
— — 2. cum icone Fran. I. et M. Theresiae R. pictae.
— quadriformis cum icone C. I. Caesaris Æ.
— — 2. pictae cum effigie Caroli VI. Imp. et Elisabethae Christ. Imp.
Tegulae 3. paruae in forma 8. numeri T.

Digitized by Google

Tegula orbicularis, sine nota T.

Tegumenta 2. capitis hamata F.

Tela breuia, ferro aculeata L.

Templum S. Stephani Viennense cum turri, ex gypso, et spuma marina T.

Tenia pro ornamento mulieris illyricae ex tenuibus lamellulis Æ.

Tessera Camerarii Caes. Reg. Austr. Æ.

— Aulae Reg. Familiaris Hung. Æ.

Theca epistolaris turcica Æ.

— oualis instar ouuli pro opio Æ.

— pro speculo margaritifera Æ.

— 3. lucernales, pro conseruandis lampadibus figulinis, romanae T.

Thoraces 2. pectorales, et dorsales F.

Tibia vtricularis hungarica (Duda).

Tolutum solearium (*Topánka* vocant) hungaricum Stephani Kohári.

Tripus sacrificalis, siue foculus Æ.

Tropaeum, siue aquila ex curru triumphali Napoleonis P.

Truncus sacris iconibus caelatus L.

Tuba venatoria ex concha buccinata Æ.

— siue cornu bouinum, argento laminatum, et epitomio eburneo armatum.

— flexuosa ex alba lamina Æ.

Tubi frustum roman. politum Æ.

— — ex polito marmore M.

— — in forma sugibuli Æ.

— — tenuis lamellae Æ.

— pyrotechnicus in forma baculi F.

— — pro igne excitando Æ.

Tunica tatarica ex corio bubalino cum tintinabulis.

Turris pro Lipsaris texta ex filis Æ.

Tympanum tataricum Æ.

Typarium roman. M. Plauti Rufi Æ.

Digitized by Google

Typarium monetarium Belae I. Æ.
— — Andegauense Æ.
— — Mathiae I. Æ.
— Geysae II. Regis S.
— Mariae filiae Lascaris Gr. Imp. S.
— Ioannis Kemény, Transsil. Princip. Æ.
— Amadei Episc. de Iaurino S.
— Ioan. Blasii Episc. Varadin. Æ.
— Fr. Henrici Æ.
— Math. Delivich Episc. Bolin. Æ.
— Nic. Plumbei Episc. Bosnen. Æ.
— Iacobi Praep. Bachien. Æ.
— Eccl. S. Ioan. B. de Zaboch Æ.
— Seraphini Custodis Æ.
— Conu. Mon. S. Mariae Regal. Vallis Æ.
— Fr. Timothei maius Æ.
— — minus Æ.
— Ordinis S. Paul. I. Erem. Æ.
— Prouincialis Paulinorum F.
— Clementis de Cesa Æ.
— Prouin. S. Fran. Argent. Bosn. Æ.
— Prouincial. Prou. a S. Ioan. Capist. Æ.
— S. Mariae de Pionbo Æ.
— Resident. Paks. S. Emer. Duc. Æ.
— S. Laur. Paroch. Tarnok Æ.
— Conuent. S. Fran. Obs. Budae Æ.
— Resident. Simontornien. Æ.
— Conu. SS. Mariae Bacsien. Æ.
— S. Fran. Budae paruum F.
— Sig. Franciscan. Budae 1742. F.

Digitized by Google

Typarium Prou. Bosnae Æ.
— Fran. I. H. S. sine inscriptione Æ.
— Conu. Belgrad. P. P. Fran. P. B. Æ.
— Idem minus Æ.
— Tert. Ord. S. F. F. Arad. 1753. Æ.
— Conu. Arad. S. M. Angelor. Æ.
— Idem an. 1758. Æ.
— Conu. S. Nic. in Visont. Æ.
— Conu. S. Mar. in coel. assum. Belag. Æ.
— Comitatus Neograd. 1655. Æ.
— — Albensis 1707. F.
— Ciuit. Strig. Secret. Latin. *duplex* Æ.
— — de monte Regio Æ.
— — mont. Reg. lo. Æ.
— — minus Æ.
— — Trentziniensis Æ.
— — minus Æ.
— — mediocr. moduli Æ.
— Oppidi Fül Deák 1628. Æ.
— — Sedis Cuman. Kolbász 1660. Æ.
— — Torda Æ.
— Ioh. Bort. auctor. imper. Notar. Æ.
— Iustin. Noerber Not. Pub. Caes. iur. Æ.
— Vodicza Car. de Gensdorf Æ.
— Amand. Gartner a Grube Æ.
— Pileatorum Strigonien. Æ.
— Societatis medicae Æ.
— 2. ignotarum Familiarum Æ.

Vas aquinarium cum epigraphi: Aue Maria Regina, Pannon. Domina Æ.
— roman. cum duplici ansa Æ.

Digitized by Google

Vas ex vmbilico in conum assurgens V.

— minus simile V.

— ex argilla nigra lati orificii T.

— 3. diuersae formae T.

— inferius campanam, superius turrim perforatam referens T.

Vasculum rotundum, vitiatum V.

— quod amolam dixere, pro aqua V.

Vertex, cuius vertex, vi elastica in octo gyros circumagitur Æ.

— minor ex tenuioribus filis cum fibula Æ.

— paruus, priori similis Æ.

Vexillum funebrale Georgii Rákóczy.

Volua ad fusulum pro ducendis filis T.

Vrceus crystallinus inglomeratus ÆR.

— eburneus armatus ÆR.

— nuptialis Georg. Szegedi 1630. ÆR.

— ex nuce americana armillatus ÆR.

— cum epiglosside, vitiatus Æ.

— ex argilla rubra ansatus T.

— flauo encausto, et ansa praeditus T.

— ex argilla nigra cum fracta ansula T.

Vrna nigrae argillae cum cineribus T.

— 2. minores eiusdem formae T.

— flaua magna cum lato orificio T.

— nigra cum operculo, et ossibus T.

— 2. ex rubra, et nigra argilla, aequales T.

— orbicularis cum lato orificio T.

— ex argilla rubra, in forma cacabi T.

Vrnula orbicularis ex aere corinthiaco Æ.

— 2. aeruginosa fragmenta Æ.

Xilopalus lacteus cum capite foemineo.

Digitized by Google

Significationes Abbreuiationum.

Æ. Aes.	M. Marmor.
Æ. Argentum.	O. Os.
Æ. Aurum.	P. Plumbum.
C. Cornu.	S. Stannum.
E. Ebur.	St. Steactites.
F. Ferrum.	T. Testa.
L. Lignum.	V. Vitrum.

Digitized by Google

Nomina Offerentium.

Sereniss. ARCHIDUX IOSEPHVS *R. Hung.* PALATINVS, *Musei National. Hung.* PROTECTOR.

Andrássy Ios. Comes *de Csik Sz. Király et Krasznahorka, S. C. et R. A. M. Camerarius.*

— Leopoldus *S. C. et R. A. M. Camerarius.*

Angyal Ios. *Episcopat. Quinque-Eccles. Rationista.*

Arady Ioann. Nep. *elect. Episc. Dulcinen. M. E. Strigoniensis Cant. et Canon.* ✠

Bacsák Vendelin. *compl. Comitat. T. I. Assessor.*

Balogh Lad. *Reg. Salis Offic. Makouien. Perceptor.* ✠

Barkóczy Ioan. L. B. *de Szala, S. C. et R. A. M. Camerar.*

— Ios. *S. C. et R. A. M. Camerar. E. C. R. L. H. Secretarius.*

Barna Mich. *Canonicus Varsouiens.*

Bärnkopf Ignat. *elect. Episc. Rosonen. Praep. S. Thom. de mont. Strigoniens. E. M. Strigon. Canon. Seminar. central. Rector, et SS. Theol. D.* ✠

Batthyán Ant. Comes *de, Perpet. in* Németh Vjvár, *S. C. R. A. M. Camerar.*

— Philip. Princeps *de, Perp. in* Német Vjvár, Comes a Strattmann, *I. O. Leopoldi Inp. Commendator, S. C. R. A. M. Camerar. I. Comitat. Castri ferrei Perpet. ac Suprem. Comes.*

Beleznay Iuliana, *nata Baronissa* Podmaniczky. ✠

Bély Ios. *emerit. Dominii N. Szöny Provisor.*

Beniczky Lud. de Benicze, et Mitsinye *I. Comitat. Zolien. Ord. Notar. et plur. Comitat. Tab. Iud. Assessor.*

Digitized by Google

Benyovszky Petr. de Eadem et Vrbanov. *compl. II. Comitat. T. I. Assessor, et ad Exc. Cur. Reg. iur. Causar. F. V. Aduocatus.*

Bermans Christ. *Direction. montanist. Vasasien. Scriba.*

Bésán Steph. *S. C. et R. A. M. Consiliar. et I. Comit. Weszprimien. Ord. Vice-Comes.*

Beszédes Ios. *iurat. per I. R. Hung. Geometr. et Hydraulicus.*

Bikkessy Car. de Vámos Attya, *S. C. et R. A. M. Consiliarius.*

Bittroff Paul. *Mercator, et Ciuis in Sissek.*

Bonis Sam. de Tolcsva, *in I. Comitat. Szabolchen. General. Cassae perceptor, et compl. Comit. T. I. Assessor.*

Boráros Ioan. *II. Com. Pest, Pilis, et Solth. articul. vnitor. T. I. Assess. ac L. R. Ciuitat. Pestien. Senator.*

Borbély Alex. *Parochus Fajtsensis.*

Bossányi And. de Nagy Bosán *I. Comit. Nitriens. T. I. Assessor, Medic. D., L. R. Ciuit. Pestien. et Nosocomii Ciuic. Physicus.*

Bresztyenszky Adalbert. *O. S. Bened. AA. LL. et Phil. D. in R. Acad. Iaurinens. Math. pur. et adplic. P. P. O.*

Bruckenthal Mich. L., B. *Incl. Nation. Saxon. in Transsil. Comes.* ✠

Brunsvik Ios. Comes, de Korompa, *I. O. S. Steph. R. A. Commendat. S. C. et R. A. M. Camer. Act. Int. Stat. Consil. per I. R. H. Tauernic. Regal. Magister, I. Comit. Neograd. Supr. Comes, E. C. R. L. H. Cons. et ad Exc. Tab. Septemuir. Coiudex.*

Bujanovszky Elisab. *vidua, nata Baronissa* Podmaniczky. ✠

Bydeskuty Vincent. de Ipp, *S. C. R. A. M. Consil. et I. Comitat. Temesien. Ord. V. Comes.* ✠

Capistrani *F. F. min. strict. Obseru. Ord. S. Franc. Seraph. Budenses.*

Ciuitas *L. R. Budensis.*

— *Carponensis.*

— *Kesmarkensis.*

— *Leutschouiensis.*

— *Regiomontana.*

— *Strigoniensis.*

— *Trenchiniensis.*

Comitatus *Albensis.*

— *Marmarosiensis.*

Digitized by Google

Csáky Lad. Comes, de Keresztszegh, *Perp. Terrae Scepusien. Comes, consecr. Episcop. Tinninien. Praep. S. Cruc. de Aszód, C. E. Magno-Varad. Praep. Maior, et Canonicus.*

Cseh Franc. et Ios. *fratres de Sz.* Kátolna.

Cseptsányi Th. *compl. Comit. T. I. Assessor.*

Csohányi Ios. *Equestr. Palatinal. Hung. Legion. Equit. Magister, et Sereniss. Archid.* IOSEPHI, *Palat. Prostrates.* ✠.

Csoma Sigis. de Ragolcz *II. Comit. Heues, et exter. Szolnok articul. vnitor. Vice Notarius.*

Décsy Steph. *Dominii Keszthely Perceptor.*

Dellevavx Car. *ad Excel. Cam. R. H. Aul. Consiliar.* ✠.

Demjén Sam. de Sz. Kátolna.

Desseöffy de Csetnek, et Tárkeö, *familia, Lineae Sárosiensis.*

Districtus *Iazygum. et Cumanorum.*

Dvvin Lud. *in exercitu Gallico V. Colonellus.*

Dumtscha Demet. *Ciuis Pestiensis.*

Endér Ioan. *L. R. Ciuit. Strigonien. Tribunus.*

Erõs Ios. de Bethlenfalva *I. Comit. Borsodien. Super. Iud. Nobil.*

Eszterházy Ioan. Comes, de Galántha *S. C. R. A. M. Camer. A. I. S. Consil. ad E. Cancell. Reg. Transsil. Aul. Referendar. et I. Comitat. Weszprim. Supr. Comes.*

— Ios. *I. O. S. Steph. R. A. Commend. S. C. et R. A. M. Camer. et A. I. S. Consil. ad Excel. Cancell. R. H. A. Referend. et I. Comitat. Zemplinien. Supr. Comes.*

Fejérváry *Familia in Comit. Albensi.*

Festetits Emer. Comes, *de Tolna, S. C. et R. A. M. Camerarius.*

Fináczy Ioan. *Buden. Postae Praefectorat. Officii District. Postae Praefectus.* ✠

Fodor And. de Lugos *Med. D., I. Comit. Doboken. Physicus, et T. I. Assessor.*

Fokos Ioan. *I. T. R. iurat. Notarius.*

Forgó Georg. *Med. D., I. Comit. Pestien. Physicus, et I. Comitat. Neograd. T. I. Assessor.*

Gorové Lad. *compl. II. Comitat. Tab. Iud. Assessor.*

Gosztonyi Gab. de Kis Némethy *II. Comit. Pesth, Filis, et Solth artic. vnitor. Ord. Iudex Nobilium.* ✠.

Digitized by Google

Gosztonyi Ioannes, *S. C. et R. A. M. General. Camp. Vigiliar. Praefectus.*

Griller Ios. *Regio Cameral. Oppidi Sz. Endre Parochus.*

